



B.771.



VITA
FATA ET SCRIPTA
CHRISTIANI WOLFII
PHILOSOPHI.



LIPSIÆ ET VRATISLAVIAE,
Apud Siegmundum Ehrenfriedum Richterum.
cclcc xxxix.

B. 781.



KÖNFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE



PROOEMIVM.



Rnant rem literariam,
mirificeque augent,
quocquot, id sibi negotii
datum esse credunt, ut eorum, quos,
constat, de scientiis artibusq; ingenuis
optime mereri, memoriam literis ac
monumentis prodant, proditamque
postoris pie inuiolateque tuendam
commendent. Hac enim ratione et
legibus, quas grati animi sanxit religio,
fit satis, et, qua quisque via qui-
busue adminiculis ad summa uel eru-

A

ditio-

ditionis uel dignitatum fastigia eue-
ctus fuerit, distinctius cognoscitur,
et ultimas persaepe huius illiusue di-
sciplinae origines retexendi, copio-
siusque commemorandi fata artium
et usus, peropportuna subministratur
occasio. Addo, quod, enarrandis
eruditorum uitis, quaedam quasi i-
magines aliis, solidioris cupidis do-
ctrinae, proponantur, quas, tan-
quam in illustri positas monumento,
intueantur, et quarum ipsa cogitati-
one mentem moresque ita confor-
ment, ut inde sibi, quod imitentur,
cipient, inde foedium inceptu, foe-
dum exitu, quod uitent. Inprimis
uero eorum uita uerbosius exponi,
et ad omnem posteritatis memoriam
conseruari meretur, qui, quantum
ingenii gloria meritorumque ampli-
tudine ceteris omnibus excelluerunt,

tan-

tantum turbidissimis fortunae iratioris procellis iactati, omnique lacefitti iniuriarum genere, quicquid uspiam inueniri potest malorum, sunt perpessi. Pertinet huc, si quisquam, **CHRISTIANVS WOLFIVS**, Philosopherum nostra aetate facile princeps, et exquisita Mathematum scientia nemini secundus, qui, ad summa euentus, non Germaniam modo, sed uniuersam quoque, quam late patet, Europam stupore et admiratione defixam detinet, omniumque gentium oculos animosque in se dudum conuertit. Hunc, quem Germani, qua cultiores sunt, suspiciunt, quem in pretio habent Belgae, quem Galli admirantur, quem reuerentur Itali, quem Septentrio colit et obseruat, quem Britanni ferunt laudibus, et, ut incomparabile eruditorum decus,

maestant honoribus, hunc, inquam,
WOLFIVM, par est et pium, libe-
ris nostris, et, si qui futuri sunt, ne-
potibus commemorari, eiusdemque
memoriam, literis monumentisque
decoratam, cum omni, quae secu-
tura est, posteritate adaequari.

Non ergo mihi quispiam uerte-
rit uitio, quod, licet nec facultatis
possideam satis, nec uirium tantum o-
ftentare queam, quantum ad meri-
ta uirtutesque **WOLFII** enarrandas
postulatur, ausus tamen fuerim, sic
exponere de eius uita, fatis, ac me-
ritis, ut cum omnes eruditi, tum in
his exteri maxime intelligent, Ger-
maniam, uberrimo eruditissimorum
uirorum prouentu felicissimam, nulli
prouinciae, uel eruditionis gloria,
uel scientiarum amplificandarum stu-
dio,

dio, concedere. Evidem non ignoro, plures iam in uita WOLFII enarranda fuisse occupatos, et inter hos, clarissimum Lipsiensium Professorem LVDOVICI id egiſſe enixifſime, ut, quae ad historiam uitae disceptationumque Wolfianarum pertinere uisa sunt, conquireret, et operosius conquisita in lucem conspectumque proferret. Ipsum quoque WOLFIVM, commemini, esse pollicitum, se, quae ad uitam suam, uariaque, quae perpeditus sit, fata spectent, luci expositurum publicae, et cum eruditis communicaturum. At, cum LVDOVICI non minus, quam HARTMANNVS, GOETTIVS, STOLLIVS^q; et alii uitae Wolfianae enarratores teutonico usi sint sermone, exterorum uero, ea, quae teutonice scripta sunt, nec legentium,

A 3

nec

nomis

nec intelligentium, plurimum inter-
sit, scire, qui sint WOLFII nata-
les, quae fuerint eius fata, quibus
ue animi ornamenti dotibusque in-
genii exsplendescat, hoc minus du-
bitaui, uitam WOLFII oratione,
non comta illa quidem et terfa, ad
priscae tamen latinitatis leges, quo
ad ejus fieri potuit, exacta, percen-
fere, quo noui certius, latina legi
in omnibus fere gentibus, teutonica
suis finibus, exiguis fane, contineri.

Neque uero WOLFIVM, exi-
stimo, hos meos conatus male inter-
pretaturum, cum compererit, me,
quicquid huius est scriptionis, ita uel-
le accipi, ut sit quoddam meae erga
ipsum obseruantiae pietatisque mo-
numentum. Plus ergo, inquieris, in
hac uitae Wolfianae descriptione,
amori

amori, quam ueritati, dabitur loci,
nec, quem historiarum confectio iu-
re quodam suo sibi depositis, animus,
ab amore studioque placendi alienus,
in commentatione hac comparebit.
At falleris, quisquis haec mihi obie-
ceris. Quam quam enim dotes, me-
rita, excellenterque facta **WOLFII**
plurimi aestumo, eademque summis
ac diuinis efferenda laudibus puto,
nunquam tamen committam, ut,
quibus eruditionis suae famaeque
gloriam obscurasse nonnullis uisus est
WOLFIUS, maculas et naeuos uel
reticuisse prorsus, uel dissimulasse
certe aut excusasse dici queam. Du-
dum enim amoris odiique partes, quae
omne iudicium ueri adulterant, pror-
susque tollunt, facesse iussi, neque
adeo, opinor, habebunt **WOLFII**
aduersarii, quod, me inuidiosius liui-

A 4 dius

diusque ipsos criminatum esse, aiant,
cum, quid actum sit ab iis, quidue
agendum fuerit, me narrare uiderint,
cum, animum ipsorum, inuidiae per-
saepe ueneno suffusum, abs me libe-
rius detegi; et in lucem uelut protra-
hi, obseruarint. Tuo interim, Le-
ctor, utere iudicio, nihil impedio,
meque, si, quis sim, scire uelis, ad
eos pertinere, credito, qui ἀληθέ-
ρειν ἐναγαπη, ναὶ ἀγαπᾶν ἐν ἀλη-
θείᾳ allaborant. Quibus uale, tibi-
que persuade, te mihi quidem esse
carissimum, si WOLFII fueris ami-
cus, at cariorem tamen, si non nisi
id, quod uerum est, aut ad ueri cer-
te similitudinem quam proxime acce-
dit, fueris consectatus.

Cap.

Cap. I.

De WOLFII patria et parentibus.

Silesiam suis illustrauit natalibus WOLFIVS, atque adeo, quam foecunda bonorum ingeniorum sit mater haec prouincia, quam liberalis liberalioris doctrinae custos et nutrix, ut multum alias, ita WOLFII in primis exemplo est comprobatum. Quoad longissime potest mens mea respicere praeteritorum temporum spatium, et omnium retro saeculorum memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, inuenio, quanta Saxonia munificentia alit Musas et ornat, tanta ubertate Silesiam Musarum filios protulisse semper, atque etiam nunc omnis generis eruditos felicissimo uelut partu excludere. Non

A 5 com-

commemorabo nunc pluribus Opizios, Lohensteinios, Hoffmannswaldavios, Hanckios, Gryphios, Güntheros, Neumannos, alios, nec attingam, qui nostram aeatem ornarunt et ornant, Stollios, Gebaueros, Krausios, Burgios, reliquos. WOLFIVM sufficiat adduxisse, quem unum si produxisset Silesia, haberet profecto, cur, tanti tamque illustris Viri ortu condecorata, sibi impensis gratularetur. Quemadmodum uero Vratislauia omnium, quas continet Silesia et ostentat, urbium princeps est et opulentissima, tantumque inter ceteras suum effert caput, quantum lenta inter uiburna cupressus, ita haec, nec alia, urbs ad WOLFIVM, qui futurus erat eruditorum princeps, procreandum diuinitus destinata uidebatur. Vratislauiae enim, urbe,
1603

et

& eruditissimis hominibus affluentissima, et opibus elegantiaque ciuium florentissima, WOLFIVS prognatus est, idque anno superioris saeculi nono et septuagesimo, IX. Calend. Februar. (d. xxxiv. Januar.) Nascenti fortuna consecutus est parentes, non splendido illos quidem illustrius loco natos, sed pios tamen, honestos, et in educando WOLFIO nostro, adornandisque futurae suae doctrinae praesidiis, continenter occupatos. Pulchrum habetur, multarum esse imaginum, insignesque familias paterna complecti nobilitate. At nec indecorum est, uirtute et eruditione, si amplissimae desint necessitudines, ex humili loco, tanquam ex puluere, se ita tollere in altum, ut, quod nascendi denegauit fortuna, id uel artium studio, uel cultura uirtutis,

tis emendetur. Pater WOLFII
Vratislauiae honesto nec illiberali o-
pificio uitum sibi paravit, in coriis,
alumine subigendis, cineris inspersu-
obfirmandis, perficiendis, et ad usum
aptandis operam consumens, (*Ein
Loh-Gerber.*) Optimi parentes, qua-
erant in filiolum indulgentia, ipsum,
sacris initiatum mysteriis, et fonte
puriori à peccatorum fordibus repur-
gatum, qua poterant, solicitudine
ac fide ad bonae mentis decus uerae-
que pietatis castimoniam perduce-
bant, et ut, quos honestatis ignicu-
los, naturae bonitate, in ipsius animo
insitos obseruabant, indies magis ma-
gisque exuscitarent, omni animi con-
tentione allaborabant. Quare ipsum
artium morumque magistris liman-
dum poliendumque tradebant. Qua
quidem de causa in scholis, quibus
afflu-

affluit Vratislauia, per plures annos
commorabatur WOLFIVS. Sequitur ergo, ut de eius uita scholaistica
strictim carptimque exponamus.

Cap. II.

*De WOLFII Praeceptoribus studiisque
Scholasticis.*

Fit ita fere, ut, in quibus aliquando nos excellere, et ad summa peruenire uult prouida DEI cura, ad ea, inde usque a teneris, quod aiunt, unguiculis, occulta quadam Numinis ui, instinctuque naturali, feramur, trahamur, et uel inuiti etiam rapiamur. Quod quidem, quoties primam WOLFII infantiam, annosque pueriles animo contemplor, toties rectius mihi pleniusque intellectusse videor. WOLFIVS enim, puer adhuc

adhuc & paene infans, tam luculenta excellentis sui, et ad summa nati, ingenii specimina edebat, ut, sublato quasi quodam ad bene de se sperandum signo, optimi cuiusque et eruditissimi exspectationem sustineret, nonnullos quoque, ob igneam mentis ingeniique uigidioris agitationem, in sui admirationem raperet. Id quod, si recte uitam eius scholasticam contemplatus fueris, lucide apparebit. Vbi enim, positis primis religionis christianaे tyrociniijs, iactisq; doctrinae elegantioris fundamentis **WOLFIVS**, gloriae concitatus igniculis, ad altiora sibi contendendum esse uiderat, eruditissimos uiros, qui tum in Gymnasio, quod floret Vratislauiae, Magdaleneo docentium obibant munera, adeudos audiendos que sibi putabat. In his uel maxime
no-

nominandi sunt GRYPHII, KVP-
PFENDERI, TITHIque, uiri, quo-
rum in expoliendis ingeniis ornandis-
que literis spectata erat facultas. Si
uel unum Gryphium lautioris doctri-
nae formatorem adiutoremque ha-
buissest WOLFIVS, dubitari non
potest, ipsum, tanto tamque egregio
uiro studia moderante, non potuisse
non ad summa peruenire. In Gry-
phium enim, collectis undique do-
ctrinarum copiis, prisci recentioris-
que aeuī scientia ita confluxerat, ut
difficile uideretur, iudicare, praestan-
tiorne in illo philosophus, an histo-
ricus, aut orator et poeta emineret.
Huius ergo Gryphii uoce, huius hor-
tatu praceptorisque conformatus
WOLFIVS, huius studio et ope per
nobilem politioris literaturae circum-
deductus, altius eniti occipiebat, ani-
mum-

mumque, a mansuetioribus Musis
ad seueriores philosophorum com-
mentationes traductum, sic ad cogi-
tandum componebat, ut ad Philoso-
phiam, quicquid agebat, quicquid
moliebatur aut dicebat, referre uide-
retur. Philosophia tum temporis in-
numeris scholasticorum sordibus
comparebat inquinata, et utilissimis
quibusque ueritatibus multa nox erat
offusa, ita, ut, si quis cogitationes
suas ac studia ad philosophiam confe-
rebat, nihil aliud uideretur agere,
quam barbarorum gregem augere.
Quotquot enim uel in academiis, uel
in Gymnasiis philosophiam docebant,
tum demum sibi aliisque uidebantur
satis fecisse, si, quicquid commenti
erant Auerroes, Mendoza, Suarez,
memoriae mandarent, si, quos nemo
intelligeret, terminos prouerrent,
si

si, quod clarum erat, largaque luce perfusum, id perplexum obscurumque redderent, si distinctionibus, tanquam quibusdam terriculamentis, aduersarios concuterent, si in uerbis denique & captiunculis haererent, aut contortulis quibusdam sophismatibus fucum facerent aliis. Has, & si quae plures sunt, scholasticorum delicias WOLFIO, philosophiae addiscendae cupidissimo, propinabant nonnulli Gymnasii Vratislauiensis doctores, quorum erat, ea, quae ad philosophiae spectant ambitum, docere.

Neque uero respuebat prorsus has cupedias WOLFIUS, uerae, ex uera haustae philosophia, uoluptatis tum ignarus, quin pasci etiam iisdem aliquandiu, incredibiliterque delectari uidebatur. Tantos quoque in philosophia

B

sophia

sophia scholaistica fecerat profectus, ut inter aequales clarius, ut ex splendesceret, et condiscipulos suo studio incitaret. Quantum ualeret ingenio, quantum disputandi peritia, facto saepius periculo, testatus est, cum, subtili controuersiarum disceptatione inita, uel ipse, ad differendum instructissimus ac paratissimus, monachos ad eruditum prouocaret certamen, uel prouocatus, erudite promteque dissentientium infringeret commenta, et, inciso feliciter dubitationum neruo, uictor ex pugna discederet. Ipsum WOLFIVM, de disputationibus, quas peradolescens identidem cum monachis in coenobiis Vratislauiae instituit, differentem audiamus. "Recordatus, inquit, quod adolescens syllogismo tam feliciter usus fui-
eram disputando in coenobiis cum
non-

nonnullis monachis, quibus familia
riter utebar, et, quod me ad conflictum
praeparans, probationem per longam
syllogismorum inter se connexorum
seriem continuaueram, ad demonstra-
tiones geometricas attendi. Quo fa-
cto, intellexi, eas, si ad summam accu-
rationem deducantur, constare ex syl-
logismis, eodem prorsus modo con-
nexis, quo adolescens thesum proba-
tionem connectere consueueram.“(*)

Quamquam ergo WOLFIVS, tanto
subtilitatum scholasticarum apparatu
instructus, tamque egregia, ut puta-
batur, uel necendi nodos, uel nexos,
et magno demum uindice dignos, fa-
cile incidendi scientia ornatus, aliis
omnibus, etiam scholasticae philoso-
phiae peritissimis, satis faciebat, sibi
tamen nondum satis fecerat. Cum
enim

B 2

(*) Rat. praelect. p. 129. §. 26.

enim interno quodam et flagrantissimo desiderio, longius in scientiis, quam scholasticorum uulgus tum consueuerat, progreendi teneretur, et, incredibili prorsusque diuina feruidioris et celerrimi ingenii ui agitatus, de nouis ueritatibus inueniendis noctu et interdiu cogitaret, omnia, quaecunque poterat, conquirebat subsidia, quibus adiutus, longius paullo, quam a maioribus factum erat, progrederetur, omnesque in eo corporis animique neruos contendebat, ut mentem, pluribus, iisque abstrusissimis, scholasticorum quaestionibus obrutam illam quidem, nunquam uero satiatam, laetissimo solidioris cognitionis pastu expleret. Quare, tanquam diuturnam sciendi sitim restinaturus, ad matthesin accedebat, quam, inaudierat, et ad ingenii aciem felicitate

citer exacuendam, et ad ea, quae, insita rerum obscuritate, multis impeditissima uiderentur, explicanda, ad liquidum perducenda, distributiusque enodanda, esse perquam accommodatam. Quicquid enim ex philosophia scholastica animo memoriaque comprehenderat, id omne ipsi parum sufficere uidebatur ad nouas, quas tanto quaerebat studio, ueritates inueniendas. "Logicam, ait, scholasticorum didiceram, antequam in academiam excurrerem, sed non satis faciebat, quod non uideram, quomodo per eius regulas inueniri potuerint ueritates, a uiris egregiis in lucem protractae. Vnde, praeterquam quae de definitionibus et syllogismis praeципiebantur, cetera non magni faciebam. Syllogismorum enim ac definitionum usum non contempnendum

B 3

in

in disputando deprehendebam, cum intelligerem, hoc medio certissimo praecaueri, ne extra oleas evagiemur. (*) Et alio rursus loco: "Cum adolescenti mibi loci topici commendarentur, tanquam medium inueniendo medium terminum, ad probandum conclusionem, iisdem usurus, mature animaduertebam, locos istos tantum seruire, ut ex memoria depromantur, quae, alio tempore cognita, eidem mandauimus. Quam obrem Logica vulgaris nihil mihi conferre uidebatur ad ueritatem inueniendam." (**) Quanto ergo minus in scholasticorum quisquiliis reperiebat adiumenti ad nouas ueritates inuenendas, tanto plura in mathematicis

con-

(*) Ratio prael. p. 120.

(**) I. c. p. 122. §. II.

contineri scientiis, sibi persuadebat, quae uiam ad nouas ueritatis eruendas soliditatemque munitant. Ipse loquatur hic WOLFIVS. Insigni tum, inquit, flagrabam desiderio artis inueniendi ac demonstrandi cognoscendae. Quoniam itaque audiueram, Geometras propositiones suas adeo euidenter demonstrare, ut assensum extorqueant, quam primum intelligantur, per Algebraam ueritatis incognitas certo inueniri, nil magis in uotis erat, quam ut mathematicorum sacris initiarer, certissima spe fretus, fore, ut rationem euidentiae in demonstrationibus geometricis et artificia Algebraicorum inueniendi meditatus incidam in regulas demonstrandi, atque inueniendi generales, cum ex logica scholasticorum didicissem, genus in specie contineri, adeo-

B 4 que

que notionem generis a notione speciei abstrahi posse. (*) Toto ergo pectore incumbebat ad mathefin, neque ab eorum latere, qui in Gymnasio Vratislauiensi docerent mathemata, et radios in erudito puluere ducerent, sibi discedendum existimabat. Fert ita plurium, qui se literis operam dare profitentur, consuetudo, ut scientiarum, fastidito nucleo, corticem tantum lambant, summa tantum decerpant, ad interiora uero raro pertingant. Quorum quidem perfunctoriā discendi rationem perosus WOLFIVS, quicquid in mathematicis disciplinis abstrufum, multisque obsessum interclusumque difficultatibus uidebatur, id omne, nauiter indagatis rerum caussis, perten-

tan-

(*) Rat. prael. p. 122, §. 12.

tandum acie mentis peruadendumque
sibi arbitrabatur. Quo siebat, ut,
cum na^ctus esset doctores, qui, in fi-
gurarum mathematicarum nominibus
explicandis occupati, raro ad interio-
ra penetrarent, sibi suoque discendi
incredibili desiderio non fieret satis.
Rectius id WOLFII, quam meis, uer-
bis proloquar. Ita enim ille. “Non
erat in patria, qui expleret desideri-
um meum. Quae enim in Gymna-
sio patrio docebatur mathesis, ultra
terminorum explicationem et figura-
rum descriptionem non extendeba-
tur. (*) Quid ergo WOLFIVS,
tanta tamque inexplebili solidioris
scientiae acquirendae siti perustus?
Ipse, cum doctores inter doctores
desideraret, cum, a nemine dulcif-

B 5 simum

(*) Rat. prael. p. 122. §. 13.

simum scientiarum mathematicarum
nucleum, quo perfrui cupiebat, re-
cludi sibi, uideret, ipse, inquam,
docentis ac discentis partibus eodem
perfuncturus tempore, priscos limpi-
dissimosque scientiarum mathemati-
carum fontes combibendos credebat.
Euoluebat ergo elementa Euclidis,
Clavii enarrationibus illustrata, ea-
demque, sine doctore ac ductore, no-
cturna uersabat manu, uersabat diur-
na. At, quae omnibus iis, qui, ni-
mium sibi praefidentes, sua ipsi opera,
ad eruditionis decus et fastigium per-
uenire audent, obiici solent obstacula,
iisdem **WOLFIUS** se in studiorum
mathematicorum cursu retardari sen-
tiebat. Quod ipse ingenuo ultroque
confitetur. “Quamuis, inquit, pro-
prio Marte ad ulteriora progredi de-
creueram; uaria tamen sese mihi ob-
iicie-

uiciebant obstacula, quae progressum morabantur. Incidebam in elemen-
ta Euclidis a Claudio edita, et com-
mentariis illustrata, quae nimia pro-
lixitate displicebant, quod tunc ab
aliis studiis, quae ne negligerentur,
rationes complures suadebant, non
multum temporis ad priuatam Geo-
metriae tractationem relinqueretur.
Similiter de Algebra non aliud mihi
scriptum innotuerat, quam Clauia-
num, cuius usus non nisi in Biblio-
theca publica concedebatur. Quam-
obrem nec huius artis quaedam ad-
discere licebat.“ Aliam ergo uiam
WOLFIVS, miro latentes ueritatum
et disciplinarum mathematicarum re-
cessus perquirendi studio elatus, in-
grediebatur, nouosque, quos legeret,
quos lectos in succum, quod aiunt, et
sanguinem conuerteret, libros cir-
cumspicere.

cum spiciebat. Prodierant anno
cl^o l^o cxcv. Henrici Horchii elemen-
ta arithmeticæ uulgaris, et literalis.
Quem quidem librum, a quodam con-
discipulo cum ipso communicatum,
auidissime legebat, neque nullum
inde fructum persentiscebatur, suis
quoque, suoque usui reseruatis,
animaduersationibus eundem illustra-
bat, non unis subiunctis exemplis,
unde iis, quae dicta erant abstrusius,
largior lux affunderetur. Neque hic
possum, quin ipsum adducam WOL-
FIVM. “Cum Ao. 1695. inquit, Li-
psiae prodiissent Henrici Horchii ele-
menta arithmeticæ uulgaris et litera-
lis, atque anno sequente mecum à
condiscipulo quodam communica-
rentur, ex iis calculum literalem
mihi familiarem reddebam, et quan-
dam Algebrae ideam hauriebam.

Et

Et quoniam uidebam, ab Autore regulas quasdam generales, etsi leues utriusque algorithmi atque Algebrae deriuari, eadem spem, quam de studio mathematico conceperam, firmabant, et ego ad earum imitationem alios istiusmodi canones condebam, exemplisque ex aliis scientiis, mihi tum notis, illustrabam: Est adhuc in manibus meis MSc. in quo tunc temporis regulas Algorithmi speciosi plenius ac distinctius descripsi, quam eas repereram in elementis Horchianis, et canones istos, exemplis illustratos, subiunxi, quod etiam a nonnullis condiscipulis descriptum memini.“

Hoc suauissimo solidioris cognitionis pabulo alta mens WOLFII, nouis quotidie igniculis ad ulterius progredi-

grediendum se concitari sentiebat, neque illa, qua dudum stimulabatur, cupiditas nouas inueniendi ueritates relanguerat, sed, altissimis uelut radibus defixa, crescebat in dies magis, acriusque incendebatur. Maxime ubi Cartesium audierat noster in philosophia tantum, quæ contemplatione continetur, emendanda fuisse occupatum, de morum autem scientia, in pristinum suum decus et dignitatem restituenda, parum cogitasse, ipsum, tum iuuensem nondum uiginti annorum, incredibilis quaedam incessebat cupido, eam Philosophiae partem, qua mores conformantur, emendandi, nouisque locupletandi accessionibus. Ad quae quidem destinata rite perficienda per opportunam Tschirnhau-senii medicinam mentis esse, credebat, ex quo quippe libro uiam rationem-

nemque nouas eruendi ueritates omnium facillime perdisci posse, arbitrabatur. Legebat ergo Tschirnhausenum, et in spem magnæ inde hauriendæ eruditio[n]is ueniebat. At, cum Tschirnhausenii medicina poscat lectorem, rei mathematicae per-tissimum, fieri non poterat, quin WOLFIVS, scita mathematicorum nondum satis animo complexus, haereret ubiuis subtimide, multasque, quae ipsum, ulterius progressurum, remorarentur, difficultates incidere sentiret. Id quod postea ipse fassus est, (*) cum, ad maiorem iudicandi maturitatem perductus, quaedam in medicinam Tschirnhausianam com-mentaretur.

Vides,

(*) vid. rat. prael, p. 124, §. 16.

Vides, lector, WOLFIVM,
quem ad omnia sumimum excellens-
que ingenium armauerat, iuuenili
adhuc aetate, eo iam peruenisse, quo
uix centesimus quisque artium do-
ctor, in acadamiis diu multumque
uersatus, pertingit. Omnes, qui-
bus WOLFIVM, in Vratislauensi
commorantem Gymnasio, nosse da-
tum erat, omnes, inquam, spe, mi-
nime dubia, et explorata prorsus, cer-
tisque ducti auguriis, praefagiebant,
fore, ut ipse aliquando, spatiofissimo
quasi quodam campo, in quo ipsius
latissime funderetur fama, aperto,
non minus falsi disturbaret propugna-
cula, quam praesidia constitueret ueri.
Quae in ipso adolescentulo tum ful-
gebat, indoles uirtutis, admirabilis
item, quae in ipso efferuescebat, uis
pulcherrimae naturae, et mira flagran-
tissima-

tissimaque nouas inueniendi ueritates cupiditas, quae, praeter naturalem animi in omnibus rebus subtiliter perspiciendis uigorem, in ipso eminebat, ceteraeque, quibus optimo cuique sui admirationem iniiciebat, dotes comminus iam iam ostendebant fructus, quos aliquando respublica literaria uniuersa a WOLFIO cumulatissime esset reportatura.

Animo ita ad studia altiora satis praeculto, abitum in academiam meditabatur, idque suffragante amplissimo patrum conscriptorum rei publicae Vratislauiensis ordine, a quo, quod rogarat, subsidium literarium facile impetrabat. Ex decreto scilicet senatus, nonnulli iuvenes, in academias digressuri, feligebantur, quorum rationibus, liberalitate publica,

C consu-

consuleretur. Hi, ne forte beneficium poneretur apud ingratos, aut male merentes, explorabantur ante, quam commearent in academias, et publico examine, quid cuiusque ualerent humeri, quid ferre recusarent, tentabatur. In quo quidem examine, referente BERNDIO, (*)
tam

(*) Der iezige Weltberühmte Herr Hoffrath Wolff, inquit Berndius, war auch mit unter den Stipendiaten / und ward zugleich mit examiniret / von 2. Uhr Nachmittage bis um 6. Uhr. Ich hatte schon längst Scharffii metaphysicam bey nahe auswendig gelernt / und auch manche Stunde auf den Scheiblerum gewendet / um mit den Päb- stischen Studenten desto besser disputiren zu können / so oft ich mit ihnen in Compagnie kam ; meinte also wunder wie ich in diesem Stücke in dem Examine bestehen sollte. Aber der Herr Hof-Rath Wolff übertraff darinne uns alle, so, daß auch die hohen des Raths, und die Assessores der Geiste

tam pulchre stetit WOLFIUS, ut omnium tulerit plausum, et unus omnium maxime dignus fuerit existimatus, cuius studiis, multum olim rei publicae eruditorum profuturis, succurreretur.

C 2 Cap.

Geistlichkeit nicht wenig Vergnügen darüber bezeugten. Er kam nicht sonderlich in Compagnie, vielweniger in die Häuser / wo die Gymnasiaisten sowohl aus dem Elisabethanischen / als Maria Magdalenen- schen Gymnasio oft zusammen zu kommen pflegten. Sonst gieng er in Kleidern schlecht/ Doch reinlich einher/ wie er denn auch nur eines Gerbers Sohn war/ distinguirte sich aber sehr von andern wegen seiner fleisigen und guten profectuum, so er in Studiis hatte. Vid. uitae curriculum Berndii , quod ipse conscripsit, et nuper admodum edidit. p. 148.

Cap. III.

De WOLFII vita academica.

T'antis ergo, tamque minime uulgaribus fortunae eruditionisque praefidiis septus WOLFIVS, Vratislauia abibat, et, patriis laribus relictis, ad exteris sibi excurrendum putabat, iis, quas tanto studio tamque pertinaci conquisiuerat labore, mentis doctrinaeque diuitiis maiorem cumulum additurus. Ienam ergo, elegantissimam illam omnis elegantiae et doctrina reconditioris nutricem, se conferebat, uitamque ibi academicam, anno superioris saeculi nono et nonagesimo, auspicabatur.

Quo ubi peruenit, delatus sibi uidebatur ad ipsum doctrinae uberrimum ac plenissimum fontem, cuius haustu

haustu ac potu conceptam uisceribus
suum sedare, ardoremque restinguere
posset. Quantum ergo efferebatur
studio, interiores literarum delicias
degustandi, tantum gaudebat, per-
amplam sibi a fortuna datam esse oc-
casionem, ardentissimam, qua sti-
mulabatur, cupiditatem explendi,
mentemque dulcissimis bonarum co-
gitationum ac philosophiae quasi epu-
lis exsaturandi. Neque enim docto-
res inter doctores Ienae desiderabat,
neque de eorum, qui ipsi sapientiae
fontes erudite scienterque reclude-
rent, paucitate conquerendum ipsi
erat. Redundabat enim tunc Iena
eruditissimorum uirorum multitudine,
et cuius quisque disciplinae addiscen-
dae ferebatur studio, ea Ienae, ma-
xima audientium frequentia et nume-
ro, docebatur.

C 3

Quam-

Quamquam ergo WOLFIUS iamdum praeceptis institutisque philosophiae abundabat, philosophorum tamen positiones sibi copiosius exponi patiebatur a clarissimo TREVNERO, quem in philosophando ducem quidem sibi elegerat, nunquam tamen eum ita sequebatur, quin ueritati plus et rationi, quam auctoritati humanae, dedisset loci. Neque, ut recte dicam, tam discebat WOLFIUS philosophiam a TREVNERO, quam, quae audierat Vratislauiae, et meditatus fuerat, recolebat, et ruminando magis magisque in usum conuertebat.

Quam praeterea cum philosophiae studio semper coniunxerat, quam in deliciis, inde ab ineunte adolescentia, habuerat, qua mentem intel-

intelligentiamque, mirum in modum,
exacui sentiebat, mathesin, pro ue-
teri illa familiaritate, rursus amplecte-
batur, ad eandemque colendam,
quicquid habebat virium, ingenii,
consiliique, conferebat, neque diem
aut horam praeterire patiebatur, quin
de ea perficienda cogitasset. Peri-
tissimum huius scientiae magistrum
HAMBERGERVM audiebat, sem-
perque ipsi affuit, siue **STVRMII**
mathesin enucleatam, siue mathesin
eiusdem compendiariam, aut tabulas
in uniuersam mathesin explicaret.
Multum hinc ex Hambergerianis
commentationibus utilitatis retu-
lisce **WOLFIVM**, ipse postea con-
fessus est, neque post id tempus ipsum
poenituit **H A M B E R G E R I**,
quo adiutore, eo iam deuenerat, ut,
uix uno anno in academia completo,

C 4

aliis

aliis, quibus multas obiici difficultates et scopulos obseruaret, mathesin traduceret, et exploratissimam demonstrandi uiam ingressus, ea commilitonibus et amicis redderet explicatissima, quae ipsis impeditiora esse, et plusculum habere difficultatis uidebantur. Eodem duce HAMBERGERO, totum se ad inuestigationem naturae conferebat, et eam philosophiae partem, quae rerum naturalium explicatiuiores et usus, tanto percolebat studio ut nemo ipsi, Physices studio et peritia, posset par putari.

Tanta itaque animi contentione Wolfius philosophiam consecutatus, proprius ad metam flectebat, et acutius in dies diligentiusue de nouis ueritatibus inueniendis cogitabat. TSCHIRNHA VSENII itaque medi-

medicinam, quam iuuenis legerat quidem, sed nondum satis intellexerat, denuo sumebat in manus, et in nonnulla commentabatur, quae ad **TSCHIRNHAUSIANAM** iuueniendi ueritates methodum illistrandam uel maxime pertinere videbantur. Ipsum quoque **TSCHIRNHAVSENIUM** adibat, cum eoque coram agebat, qui, sententiam de commentationibus, quas **WOLFIVS** in methodum **Tschirnhausianam** adornarat, rogatus, ea, quae a **WOLFIO** disputata sint, maximopere sibi probari affirmabat. Tanti uiri plausu et assensione acrius inflammatus **WOLFIVS**, ad id, quod in philosophia et mathesi sumum est, contendebat. Et, quanto, quamq; felici successu labor eius fuerit insumitus, euentu fuit comprobatum.

C 5

Non

Non autem matheſis et philoſophia WOLFII curas ita ad ſe reuo-
cauerant, ut ſublimioribus diſciplinis tribueret nihil uel temporis, uel ope-
rae, quin potius ad religionis diſcipli-
nam, et ad rerum diuinorum intelli-
gentiam maximam ſtudiorum fuorum
partem referebat. Qua de cauſa in
academia Ienensi ſacrorum interpre-
tes, qui ipſi ad percipienda rerum
diuinorum mysteria uiam monſtrarent,
adibat, et ex hiſ maxime ſequebatur
MULLERVM et BECHMAN-
NVM, quem utrumque in traden-
dis diuinoris doctrinae capitibus caste
integreque uersari, ſentiebat. Tan-
tas quoque in theologia fecerat pro-
grefſiones WOLFIVS, ut de rebus
diuinis identidem ad populum dice-
ret, et ob eloquentiam facilem, copio-
ſam, et, naturali quodam bono, ad
mouen-

mouendum persuadendumque instru-
ctam, omnibus esset admirationi.

Ethumanarum igitur, et diuinarum
rerum scientia cum esset exultissi-
mus WOLFIVS, in eo nunc uersa-
batur, ut, quam mente reconditam
habebat sapientiam, in lucem conspe-
ctumque proferret, aliisque docendo
inseruaret, structurus ita sibi gradus,
quibus ad summa eruditionis fastigia
ascendatur.

Cap. IV.

De WOLFII honoribus.

Ipsa, sublatis studiorum praemiis,
tolluntur studia, nec fieri potest,
quin eruditorum ad liberaliores artes
impetus relanguescat, si, quos meren-
tur, honores ipsis denegantur. Ut
ergo

ergo quaeque academia est optime constituta, ita liberalissime iis, qui, ex se nobilitati, auidissime uirtutis artiumque decus consequuntur, praemia decernit. Quod quidem euidentissime WOLFII comprobatur exemplo, qui, cum non philosophiae modo ac mathesi plurimum hucdum dedisset operae, sed has quoque artes, quas summo didicerat studio, docere alios occiperet, nunc cumulatissimis honorum uirtutisque ornamentiis manifestabatur. Anno huius saeculi secundo, eodemque exeunte, Iena conserebat se Lipsiam, ubi, non ignorabat, et suum philosophiae ac Mathesi statui pretium, et bene merentes ad dignitatis gradum euehi. Lipsiam ubi uenerat, cum alia plura, quae ibi reperirentur, elegantioris doctrinae ac mathematicarum disciplinarum adiu-

adiumenta sibi maximopere probari, aiebat, tum mirifice ad maiora et ampliora concitabatur, cum, quos ab amplissimo philosophorum ordine petierat, magistri honores facile, et sine recusatione impetraret.

Nouam hanc consecutus dignitatem, nouis se gloriae igniculis sollicitari, uri, et inflammari sentiebat, summa nisu ope, ut nomen magistri ac dignitatem, quam a re et factis seiungunt multi, eruditis speciminibus tueretur. Superiorem igitur concendebat cathedram, et, cum academiae lipsiensis doctoribus erudito congressus certamine, multam laudem gloriaeque plurimum inde reportabat. Anno scilicet c^occ III, XII. Jan. dissertationem praeses tuebatur, quae inscribitur: Philosophia
pra-

practica uniuersalis, mathematica methodo conscripta. Quo facto, dici non potest, quantam sui admirationem et Lipsiensibus, et exteris, iniecerit WOLFIVS, nouam, nec dum antehactritam et consuetam ingressus uiam, morum praecepta aliis explicandi. Frequentissimus iuuenum, Musis operantium, numerus, audiendi discendiue caussa, ad ipsum confluebat, WOLFIIque commentationibus hoc intererat libentius quisque, quo solidius eruditiusque, quicquid docebatur, proponere ipse consuerat. Quin etiam ipsi illi, qui Lipsiae habebantur eruditissimi, suis comprobabant benignioris iudicii testimoniis dissertationem, et alii WOLFIVM, quem hucdum nec de facie, nec de nomine quidem norant, in oculis ferre,

ferre, alii suspicere eundem et admirari occipiebant.

GODOFREDVS OLEARIUS, qui tum philosophorum ordinis praeses erat, audiebat **WOLFIUM**, ex cathedra superiori disputantem, et, more rituque maiorum, nonnullas dubitandi rationes contra noui magistri dissertationem conceperat. Quas ubi a **WOLFIO** promte scientissimeque dissolui infirmarie uidebat, tantis ipsum condecorabat laudibus, quantis, par est, eum ornari, qui de augendis emendandisque scientiis et disciplinis cogitat. Neque solis **OLEARIIS** Wolfianum philosophiam morum nouis augendi accessionibus consilium probabatur, sed ceteri quoque Theologi, et in his maxime **RECHENBER-**

BERGIVS, plausu dato, honorificentius, quam quisquam crediderit, de WOLFIO primoque eruditionis suae specimine existimabat. Quid? quod ipsum MENCKENIVM, qui unus omnium maxime de ingeniiis iudicare poterat, sic collaudasse, accepimus, WOLFII de philosophia practica dissertationem, ut eam non amicis modo, ut elegantem, ut solidam, ut exquisitam denique et limatissime elaboratam commendarit, sed ipsi quoque LEIBNITIO, at quanto rerum philosophicarum et mathematicarum magistro! eam transmittendam curaret.

LEIBNITIVS, lecta dissertatione, suauissime afficiebatur, et, Wolfianum admiratus acumen, cum uulgo sapere nouellum hunc magistrum

strum, negabat. Quare, epistola ad WOLFIVM data, cum luculentam prolixae suae erga ipsum uoluntatis significationem edebat, tum eximie scriptum transmissum collaudabat, nec mediocriter sibi conatus Wolfianos probari, testabatur. WOLFIVS tanti uiri laude non, ut multi, insolentius efferebatur, sed ea, quasi cote quadam, suam acutum uirtutem, et pristinum ueritatis regnum propagandi ardorem, qui non resederat quidem, inflammundus tamen erat, excitari rursus innouarique, sentiebat. CASPAREM NEWMANNVM, ut hoc addam, patrum studiorumque fautorem, iam inde a multo tempore, expertus erat WOLFIVS. Huic, ubi dissertationem transmiserat, tantum aberat, ut sibi studia conatusque WOLFII

D

displ-

displacere, significaret, ut dissertationem etiam summa cum uoluptate legeret, idque ipsum WOLFIO, epistola, humanius scripta, testaretur. Dudum enim optauerat NEVMANNVS, dere, et literaria, et sacris in primis Vratislauiensibus meritissimus, ut et theologiae naturalis, et philosophiae morum paecepta, noua, et quadam, eaque perspicua, plana, ad conuincendum apta, methodo traderentur. Taceo alios, eosque omni doctrinarum uarietate et copia perpolitissimos, uiros, qui, perspectis WOLFII singularibus dotibus, acumen, hac proditum dissertatione, summis extollebant laudibus, et maximopere admirabantur.

Neque diligentiam suam intra angustos unius huius exercitationis aca-
demi-

demicae cancellos contineri uolebat,
sed longius, calcare quasi sibi subdito,
in studiorum procurrebat tramite, et
alia ex aliis ingenii experimenta ede-
bat. Nunc enim, in illustri erudi-
torum confessu, quasdam de loquela
positiones defendebat, nunc, de ro-
tis dentatis, cogitata sua, peculiari
dissertatione, proferebat, nunc, in
amoenissimos mathematicorum hor-
tos exspatiatus, de algorithmo infini-
tesimali differentiali differebat, hoc-
que argumentum latius persecutus,
quid ualeret in matheſi, demonstra-
bat. Trium harum dissertationum
neutra non perbenigne ab eruditis,
summoque fuit plausu excepta, pri-
mam quoque, quae de loquela expo-
nebat, LEIBNITIO, cuius iamiam
benevolentiam sibi conciliarat, mit-
tebat. Non autem obscure, hac in

D 2 differ-

dissertatione **WOLFIVS**, sibi
Cartesianum, quod uocant, caus-
farum occasionalium systema probari,
significabat. Quare **LEIBNITIVS**,
qui ad **WOLFIVM** literas mit-
tebat, mirari se, aiebat, quid sit,
quod Cartesiano faueat systema-
ti. Systema ergo harmoniae prae-
stabilitae, quod, dubitabat **LEIB-**
NITIVS, an ipsi, ante id tempus,
innotuerit, commendabat, et, ut
legeret, quae **BAELIVS** de hoc sy-
stemate harmoniae prae stabilitae eru-
ditius disputasset, rogabat. Ex quo
quidem tempore **WOLFIVS**, manu
quasi ductus a **LEIBNITIO**, perqui-
sitius fundamenta, quibus harmonia
prae stabilita nititur, considerabat,
suo quamque positionem Leibnitia-
nam momento ponderabat, et tan-
dem, facta in **LEIBNITII** senten-
tiam

tiam discessione, perpetuam sibi suscipiebat propugnationem pro philosophia Leibnitiana. Neque tamen ita accedebat **LEIBNITIO**, quin plus tribuisset rationi, cuius scuto munimentisque ueritatem, si stare deberet et integra conseruari, tegendam, firmandam, et aduersus eorum, qui eam ex insidiis lacestant, impetus praesepiendam esse, rectissime arbitrabatur.

Dissertationem, quam adduximus, de algorithmo infinitesimali differentiali illustri **LEIBNITII** nomini inscripsit. Quo quidem fiebat, ut amabilissimus amicitiae, iuncundissimaeque, quae **LEIBNITIVM** inter **WOLFIVM**que intercesserat, conjunctionis nodus et uinculum magis magisque constringeretur. **LEIBNITIUS**
D 3 TIVS

TIVS enim, qua erat et in literas solidiores propensione, et erga WOLFIVM benevolentia, hanc dissertationem humanius accipiebat, nec poterat tamen, quin ueritati, quam amori erga WOLFIVM, plus daret.

Scilicet WOLFIVS dissertationi nonnullas subiunxerat theses, in quibus et haec numerabatur: Syllogismus non est medium inueniendi ueritatem. Quam ubi legerat LEIBNITIVS, qui, hac quidem in re, opinionis diffensione a WOLFIO discrepabat, epistola ad ipsum prescripta, his, inter alia, utebatur uerbis: "Syllogismum non esse medium inueniendi ueritates, ego non dixerim." WOLFIVS, ubi se ad cogitandum dabat, sententiam, cognito superioris aetatis errore, facile et libenter

benter commutabat, et se ipse rete-
xebat.

Sic se gerendo, non poterat non
altius in dies ascendere, et pedeten-
tim ad summa eniti. His enim differ-
tationibus, quarum priores duas, an-
no huius saeculi tertio, postremam
quarto habuerat, locum, beneuolo
doctorum Lipsiensium indultu sibi
concessum, strenue tuebatur, et af-
fessoris in philosophorum ordinis con-
fessu dignitatem obtinebat.

Fama WOLFI, tam luculentis
eruditionis specimenibus editis, in di-
e magis illustrabatur, et, qui aca-
demiarum bono natus erat, hunc aca-
demiae certatim nunc expetebant.
Anno clc lcc vi. in Giessensem
academiam publicis uocabatur literis,

D 4

ut

ut in ea doceret mathefin, at uno eodemque tempore, lautis conditionibus oblatis, a Rege Borussiae inuitabatur Halam, ipsique profitendi mathemata partes demandabantur. Halam ergo concessit, ibidemque, cum unus omnium excelleret, uel ingenii gloria, uel acumine, uel docendi suavitate, uel facilitate etiam methodique praestantia, inuidiam sibi quidem conflabat, sed insigne tamen Academiae ornamentum et famam conciliabat. Cum enim non eas tantum quae mathef eos continentur ambitu disciplinas perspicue, solide, eleganterque iuuenibus, harum literarum studiosis, traderet, sed rerum quoque naturalium cauñas scrutaretur, hisque omnibus ceteras quoque philosophiae partes, quas noua plane, eaque solidiori, metodo proponeret,

ret, adiungendas putaret, fiebat, ut, quotquot in academia commorabantur Halensi, ad WOLFIVM audiendum, facto quasi agmine, confluenter, ita quidem, ut in felicitatis parte poneretur, WOLFIVM audiuisse. Gratulari ergo sibi poterat, et debebat academia Halensis de tanto, quo superbiebat, ornamento. At, ut fit, inuidia et iniuriis laceffitus WOLFIVS, quiduis potius Halae, quam, quas merebatur, laudes et uotiuas acclamations experiebatur. Cum enim in celebritate ac luce uersaretur, et prae ceteris omnibus, quos in academia nactus erat collegas, exsplendoreret, fieri non poterat, quin, tempestate inuidiae concitata, iniuriosius paullo tractaretur, tandemque Hala exturbaretur. De quo copiosius dicendi infra erit locus.

D 5

Per

Per omne illud tempus, per quod
WOLFIVS Halae et uixerat, et
docuerat, uixit autem et docuit ibi
usque ad annum praesentis saeculi ter-
tium et uigesimum, per omne illud,
inquam, tempus, uariis et illustribus
regiae munificentiae documentis ex-
hilarabatur, et ab eruditissimo quo-
que in pretio habebatur et deliciis.
Non enim modo splendido consiliarii
aulici titulo et dignitate ornabatur,
sed in collegarum quoque societatis
Borussicae & Britannicae numerum
cooptatus, tam insignia eruditionis
suae ac scientiae exquisitae specimina
edebat, ut admirari, quam imitari,
WOLFIVM facilius esse uideretur.

Hala abire iussus, ad Serenissi-
mum Cattorum Principem, commu-
ne eruditorum perfugium, se confere-
bat,

bat, atque, exeunte huius saeculi anno tertio et uigesimo, honorificentius benigniusque, quam quidem inuidia optauerit, excipiebatur. Non enim primum modo locum in philosophorum ordine academie Marburgensis obtinebat, sed consiliarii quoque aulici consecutus dignitatem, plures sibi Marburgi opportunitates offerri sentiebat, quam ipse, uel speraslet, uel optaslet. Ab iis quoque, qui Marburgi Musis operabantur, non sine luculentissima summae laetitiae significatione, in sinum ac gremium academie recipiebatur. Dici non potest, quanta Marburgi uel dignitati uel fortunae **WOLFII** facta fuerit accessio, qua quemadmodum omnes laetabantur boni, ita famae laudisque **WOLFIANAE** obtrectatores non sibi conquiescendum putabant, necdum

dum ira refederat, quam aduersus
WOLFIVM temere scelestequē
conceperant.

Anno cl̄ cc xxv. eruditae,
quae Petersburgi apud Russos floret,
Academiae scientiarum Professor,
quem uocant, honorarius scribeba-
tur, nec quicquam inter ip̄os bar-
baros erat paullo cultior, quin
WOLFIVM, cuius fama non
terrae, sed coeli regionibus iam
tum terminabatur, fuisse demiratus.
Quin etiam iterum iterumque, lau-
tissimis oblatis conditionibus, Pe-
tersburgum inuitabatur, et Augu-
stissima Russorum Imperatrix tum de-
mum, scientiarum academiam, uere
floritram, arbitrabatur, si **WOLFII**
perfrui liceret dotibus et eruditione.
At **WOLFIVS** Marburgi, ubi tan-
quam

quam in portu quodam, tutus delitescebat, perpetuo sibi commorandum esse existimabat, memoremque ita beneficiorum animum Regi Suecorum potentissimo praestandum.

Anno c^{lo} c^l cc xxxiii, uaria et laetissima singularis cuiusdam numinis prouidentiae, et clementiae regiae documenta experiebatur noster WOLFIVS, et nouos, eosque splendidiores, honores addi, uidebat, iis, quibus iam erat condecoratus.

Ipsis WOLFII utar uerbis, quibus exoptatissimas dignitatis suae accessiones ipse exponere libuit. "Ceterum, inquit, silentio praetereunda non sunt singularia prorsus prouidentiae diuinae specialis documenta, quae

eo

eo ipso tempore expertus fui, quo operi huic psychologico edendo incubui. Cum enim anni superioris prima dies illucesceret, a Potentissimo Suecorum Rege, Hassiae Landgrauio, Rege ac Domino meo longe clementissimo, numum aureum ingentis ponderis in tesseram gratiae singularis accepi. Splendent in facie una imagines Maiorum augustorum, unde genus suum deducit Regina, in orbem dispositae, Rege centrum occupante. Vix quarta anni pars elapsa fuerat, cum nouum gratiae documentum adderet Rex clementissimus. Etenim praeter exspectationem ad dignitatem Consiliarii Regiminis me euehebat, eum inter Professores in ipso corpore tribuens locum, qui splendori huic conuenit.“

Eodem

Eodem anno nouis, iisque rarissimorum ornamentis **WOLFII** laus prouehebatur. Scilicet cum Galli dudum **WOLFII** perspexissent merita, et profundissimam scientiam, ipsum, commemorabili prorsus exemplo, académiae scientiarum Parisiensis socium eligebant, hancque dignitatem, quam perraro conferunt Germanis, quoddam Wolfianorum in rem literariam meritorum praemium extare uolebant.

Ipsum audias **WOLFIVM** has honorum accessiones commemorantem. "Nondum, ait, ad medium perductus fuerat annus, cum Rex Christianissimus in illustri academia scientiarum, quae Parisiis floret, locum morte illustrissimi Comitis de Pembroke uacantem mihi decerneret, quem

quem morte consueto rite electum
una cum mathematico quodam cele-
berrimo praesentauerit illustre hoc
corpus: De quo honoris eximio au-
gmento cum publice mihi gratulatus
sit Vir maxime Reuerendus, Ioan-
nes Iacobus Koethen, Pastor Lu-
theranus, quem non solum facun-
dia, uerum etiam solida, rerum
diuinarum et humanarum scientia
commendat, ut ei hac data occasione
publice gratias agam, ipsa aequitas
iubet.

Praecipuus autem et maxime
commemorabilis, qui WOLFIO,
hoc anno, contingebat, honor is-
erat, quod ab eodem Borussiae Re-
ge, a quo abire iussus erat, Halam
reuocaretur, ipsique reddituro lau-
tissimae offerentur conditiones. Quo-
qui-

quidem id omne, quod existimatio-
ni Wolfianae derogatum putabant
nonnulli, refarciebatur, plenissime-
que WOLFIO siebat satis. Di-
gna sunt, quae hic legantur, uerba
WOLFII. Ita autem ille, “ultimo,
inquit, anni quadrante Potentissimus
Borussorum Rex, munificentia uere
regia, quam seri praedicabunt nepo-
tes, Halam reuersuro splendidissimas
dignitates una cum minerali lautissi-
mo obtulit.

Inter insignia gloriae Wolfianae
illud quoque refero, quod pretioso
quodam, et in ipsius laudem cuso,
numo semel iterumque fuerit hone-
status. Geneuae scilicet DASSIE-
RIVS, flandi signandique aeris pe-
ritissimus artifex, optime optimo
optimam dari operam putabat, si

E

nu-

numum cuderet, et imagine facieque
WOLFII insignitum, et aliis de-
coratum simulacris, quibus Wolfia-
na laus contineatur. Huius ergo
in numi, quem Dassierius, in **WOL-**
FII honorem, perquam artificiose
confecit, parte aduersa uides **WOL-**
FII effigiem, splendidam satis, paul-
lulumque eminentem, in parte auersa
philosophia, linteo induita uestitu, et
suis ornata comis, sedet in cubitu,
quem tortuosus anguis, cauda in os
inserta, circum amplectitur. Cor-
nu Copiae gestat in manibus, his ad-
ditis uerbis: Sedes fructusque per-
ennis.

Consimili modo sua interesse cre-
debant Norimbergenses, ut insigne
quoddam suae erga **WOLFIVM** ob-
seruantiae monumentum exstruerent.

VE-

VESTNERVS ergo tam feliciter
WOLFII imaginem aere fingebat,
ut ipsius os et faciem, exactissima
similitudine, exscriberet, multum-
que adeo numum, quem adduximus,
Geneuensem, et elegantia, et accu-
ratione superaret. In parte numi
huius Norimbergensis aduersa miro
insculptam artificio inuenies inscripti-
onem, plenam pietatis erga WOL-
FIVM, plenam acuminum, non fri-
gidorum illorum et insulorum, sed
ad dignitatem, dotes, meritaque
Wolfiana uiuis depingenda coloribus
maxime appositorum. Non poeni-
tebit, ipsa hic adduxisse uerba, qui-
bus elegans haec continetur inscri-
ptio.

EN

AEVI NOSTRI

MERCVRIVM TRISMEGISTVM

E 2

NAT.

NAT. VRATISL. A. MDCLXXIX
D. XXIV. IAN.
QVI
MATHESIN PERVIAM
PHILOSOPHIAM
FIRMAM ET UTILEM
REDDIDIT
CLARE ET DISTINCTE
VTRAMQUE DOCVIT
HALAE AB A. MDCCVI
MARBURGI AB A. MDCCXXIII
NEMINI GRAVIS
NISI AEMVLIS

Possem plura honorum ornamenta adducere, quibus cumulatissime, et ab exteris, et a domesticis fuit decoratus WOLFIVS, possem copiosius enumerare, quanti scripta ipsius aestu-
ment Galli, quibus item in deliciis ha-
beantur ab Italis, quos, constat, uniu-
er-
sam

sam philosophiam Wolfianam iterum typis impressisse. At, cum merita Wol- fiana non ex aliorum laudibus, sed ex se suaque interna praestantia pendi spectarique debeant, aliis aliorum lau- dibus, honorumque significationibus uerbose percensendis superseedemus.

De fatorum potius iniquitate, cum qua WOLFIO diu multumque conflictandum fuit, addemus pauca, et, quibus inuidiae telis petitus fuerit idem, studio partium seposito, ex- ponemus.

Cap. V.

De Fatis WOLFII.

Raro, quod ait Seneca, cum ge- nere humano tam praeclare agi- tur, ut meliora pluribus placeant,

E 3 neque

neque naturali sua, qua gaudet, pulchritudine ueritas ita omnium ferit oculos, ita capit animos, ut admirabiles sui concitet amores, concitatura profecto, si distinctius perspicereatur, si posset coram spectari. Non leuiter inhaerescit in mente humana, sed, tamquam in ueste macula, altissime insedit inueterauitque naturae humanae corruptio, qua, tamquam peste, infectus homo, non modo ueritatem non libenter recipit, sed repudiatur etiam eam, et, si potest, acerbius infectatur. Quo fit, ut omnes ii, qui eam uel proponunt, uel a corruptelis assertum eunt, plurimorum conflagrent odio, et, tempestate quasi quadam inuidiae concitata, omnibus saeuientis fortunae procellis exagitentur.

Com-

Comprobant id omnes priſtino-
rum temporum annales, quos si euol-
uimus, ueritatem, quo acrius fuit de-
fensa, eo turpioribus fuisse proſcif-
ſam conuiciis, et eo iniuriosius tracta-
tam, reperiemus. Quae mala, quam
calamitatum molem, ut recentiora
adferam, sustinuit Cartesius, in diſ-
cuendis errorum tenebris occupa-
tus! Quam graues ſibi inimicitias
contraxit Puffendorfius, strenuus et
pereruditus ueritatis affertor! Qui-
bus laceratus eſt iniuriis Thomasius,
ridiculis Scholasticorum ineptiis ex-
ſibilandis exſtipandisque intentus!
Quam ſaepe, ficto Atheiſmi crimine,
omnium horum, quos commemo-
raui, fortiſſimorum ueritatis defen-
ſorum famae labem aspersam memini-
mus! Quam enixe id egerunt male-
uoli, ut his turpitudinis notam, foe-

E 4

difi-

diffimis undique congestis probris,
inurerent.

Mirum ergo uideri non debet,
WOLFIVM, ueritatis decus asse-
rentem, similia perpeſſum eſſe fata,
innumerisque, petulantissime in ipsum
contumeliosissimeque proiectis, male-
dictis fuisse laceſſitum. Rem, ſi me
patienter audies, ab initio narrabo.

WOLFIVS, Halam uocatus,
non committendum putabat, ut ſibi
fuisque partibus, ulla in re, deeffeter,
aut perfunctorie, ut ſolent qui-
dam, ſua tractaret. Quare omnes
in eo ingenii corporisque neroſos
contendebat, ut, largiſſime ſparſis
bonae doctrinae ſeminibus, et co-
ram, uiuaque uoce, et scriptis iuuen-
tutis

tutis literarum ac mathef eos studiosae,
commodis inferuiret. Sic se ge-
rendo id consequebatur boni, ut, qui
Halae, discendi caussa, commoraban-
tur, ipsum amarent, colerent, obser-
uarent, et ad ipsum, ut diximus supra,
maxima frequentia ac numero, sci-
endi restincturi sitim, confluenter.
Cum ergo plausus laudesque, qui-
bus WOLFIVM plurimi ex
studiosorum coetu afficiebant,
maiores essent, quam ut collegarum
nonnulli aequo ferre possent ani-
mo, quasdam inuidiae scintillulas in
eorum animo cooriri, necesse erat,
quae tamen, inclusae mente, et com-
pressae, ut ignis, cineri subditus do-
loso, ad tempus gliscebant magis,
quam in flamمام erumpebant.

E 5

Inpri-

Inprimis uero summe reuerendus IOACHIMVS LANGIVS, Doctortheologiae, eiusdemque Professor in academia Halensi meritissimus, magnam aduersus WOLFIVM, iam inde a multo tempore, iram conceperat. Non multis exquiremus, quid uenerandum LANGIVM ad indignationem et odium in WOLFIVM concitarit. Alii allegant alias causas, quarum tamen unaquaeque quanta sit, et quam iusta, ipse uiderit lector. Sunt, qui, LANGIVM omni omnino philosophiae, quae non sit Mosaica et Poiretiana, infensissimum esse, affirmant, iidemque addunt, philosophiam a LANGIO incastam appellari meretricem, omnesque adeo eos, qui philosophiam profiteantur, non posse non a LANGIO, ut homines ineptos, ut impios, ut insulso

fulsos, iuuentutisque corruptores explodi, damnari, reiici, penitusque proscribi. Mirum ergo non esse, aiunt, quod LANGIVS WOLFIVM, fortissimum, maximeque idoneum solidioris philosophiae assertorem, odio persecutus sit capitali.

Sunt nonnulli, qui, grauioribus, quam quisquam opinetur, causis LANGIVM ad congregriendum cum WOLFIO adductum esse, aiunt. Scilicet deprehendisse ipsum in WOLFII scriptis nonnulla grauiora errata, quae uix possint excusari. Ediderat WOLFIVS inter alia scripta rationem praelectionum suarum, itemque meditationes de DEO, anima, et mundo. In quibus scriptis, cum sibi deprehendisse uisus esset nonnulla, quorum lectio non sit iuuenibus

bus concedenda , ira incensus
LANGIVS et stomacho , primum
teste , et , cuniculis uelut actis , Wol-
fianam oppugnabat philosophiam ,
post uero , ubi eruperat in flammam
irae aestus , apertius , et acie quasi
quadam instructa , bellum cum
WOLFIO suscipiebat .

Anno clo locccxxi. ignis , qui huc-
dum delituerat , magno prorumpe-
bat impetu , idque , occasione oratio-
nis , quam **WOLFIUS** , more rituque
ueterum , fasces imperii academici
LANGIO traditurus , habebat . Qua-
quidem oratione , cogitata sua de Si-
nensium philosophia practica expone-
bat , Sinensiumque uirtutes honestam-
que uiuendi rationem eximie collau-
dabat . Neque dissimulare uidebatur ,
Sinensium philosophiam cum sua ,
quam

quam ediderit, morum sapientia exa-
cte conuenire. Quam orationem cum
audiret LANGIVS, quem WOL-
FIVS fertur nominasse in eadem ora-
tione polygraphum, et ceteri quo-
que ordinis theologici Professores,
dici non potest, quantus repente co-
ortus fuerit animorum impetus. Per-
uetus enim illa simulta, largissimum
nunc nausta pabulum, omne acerbitatis
uirus in Wolfium euomere iubebat.
Ex theologorum ordine uenerabilis
BREITHAVPTIVS altero die post,
quam oratio fuerat habita a WOL-
FIO, in concionem prodibat, et, in
magnō ciuium academicorum con-
fessu, uehementius in WOLFIVM,
dissimulato licet nomine, inuectus,
omnia ea, quae a WOLFIO propo-
sita fuerant, confutabat.

WOL-

WOLFIUS, ne incurreret in erroris cuiusdam, abs se incautius disseminati, suspicionem, in animum induxerat, orationem hanc, quae tot tantasque excitarat turbas, luci publicae, eruditorumque exponere iudicio. Quod ubi compererant Theologi, eam, negabant, typis posse imprimi, nisi ipsam litura coercuisset, censorumque fuisset experta limam. Cum ergo Theologi, censorum se optime munere fungi posse, crederent, iterum iterumque orationem hanc, quam, putabant, periculi uenenique esse plenissimam, uolebant sibi tradi. At quid WOLFIUS? Nihil precibus Theologorum relinquebat loci, neque, Theologorum Halensium lima eam indigere, credebat. Quod ergo orationis edendae ceperat propositum, id nunc subito com-

commutabat, ueritus, ne, si typis
excuderetur oratio, crescerent turbae,
rixarumque, id quod euenit, nullus
esset modus, nullus finis. Quam-
quam autem orationem suam, WOL-
FIVS nolebat, prodire in publicum,
edita tamen fuit post id tempus, at
non a WOLFIO, sed ab alio, ne-
scio quo, a tali certe auctore, qua-
lem sibi non optauerat WOLFIVS.

Haec ergo oratio cum male au-
diret apud omnes academiae Halen-
sis Doctores Theologos, permirum
uideri non debet, ipsos, foedere quasi
quodam facto, et unitis uiribus, Wol-
fianam philosophiam accuratius ex-
aminandam putasse. Sumebant ergo
omnes, quos ediderat WOLFIVS,
libros in manus, et, quem quisque
librum confutaret, constituebant.

LAN-

LANGIVS, qui, nescio, utrum forte
an consilio Metaphysicam WOLFII
examinandam acceperat, formida-
bilem quandam errorum farraginem
exinde conquirebat. Hostamen in-
genii foetus, in exitium WOLFII
periculumque natos, diu premebat,
nec in lucem ante, quam duo elapsi
essent anni, proferebat.

Videbantur quidem turbae ali-
quantulum conquieuisse, cum Theo-
logi, WOLFIVM modestius, quam
importunius, initio huius belli, se ge-
rere, uiderent, at nunc nouus prodi-
bat WOLFII aduersarius, qui bel-
lum, infaustis nuper ominibus ince-
ptum, redintegraret.

Erat is uir clarissimus M. DA-
NIEL STRAEHLERVS, quem,
memi-

meminimus, primum contra WOLFIVM in academia Halensi publico scripto depugnasse. Multis hucdum STRAEHLERVS a WOLFIO cumulatus erat beneficiis, nec omnino nulla prolixae cuiusdam benevolentiae WOLFII erga ipsum documenta exstabant. At STRAEHLERVS, qui ueritati, quam amicitiae, plus dare uideri uolebat, examen quoddam philosophiae Wolfianae ~~ab~~ I^o cc xxiii. foras emittebat.

Meum esse non puto, inquirere in caussas, quibus commotus, liberius quaedam dixerit in WOLFIVM, et philosophiam Wolfianam. Sunt, qui, STRAEHLERVM ad eiusmodi quid contra WOLFIVM suscipiendum multis allectum esse pollicitationibus, et dulci quadam lautioris

F

spar-

spartae adipiscendae spe inescatum
fuisse, contendunt. Quibus uero,
neficio, an accedam prorsus, cum,
quod perhibetur ab inimicis, testimo-
nium nihil in se habere uideatur, quod
fide assensuque possit dignum existi-
mari.

Quicquid huius tandem sit, id
pro certo affirmari potest, WOLFI-
VM, conspecto scripto Straehleri-
ano, mirum in modum excanduisse,
et, ingrato discipuli animo grauius
commotum, malum malo compen-
fandi cupiditatem prodidisse.

WOLFIVS, iusto animi dolore
commotus, cum in priuatis suis recita-
tionibus Straehlerianum confutabat
scriptum, tum ipsi STRAEH-
LERO actionem intendebat, et, ut
acade-

academiae patres destinationibus Straehlerianis, silentio imposito, intercederent, rogabat. At cum preces suas irritas uideret **WOLFIVS**, ad Regem deferebat litem, neque id sine omni prorsus fructu. Rex enim sanxerat edicto, ne quid uel a **STRAEHLERO**, uel a ceteris academiae Halensis Doctoribus contra Wolfium scriberetur. Secus si fieret, fore, ut **STRAEHLERVS** non modo magistri dignitate exueretur, sed ingenti quoque multatus pecunia, suae poenam daret audaciae.

Quo quidem edicto regio tantum non omnes academiae Halensis Doctores exterriti, non conquiescendum sibi, silendumque putabant, sed, perscriptis ad legem literis, quid in **WOLFIO WOLFII**que doctrinis

F 2

desi-

desiderari possit, eidem significabant. Theologorum in primis ordo, et philosophorum contra nitiebatur, et, quod ad Regem perferendum erat scriptum, id, a LANGIO confectum, omni cunctatione abiecta, Berolinum transmittebatur.

Quo quidem in scripto, multa WOLFIO fuisse afficta dicuntur, de quibus ne per somnium quidem cogitarit. Haud obscure enim WOLFIVS, in hoc libello, Atheismi incusabatur, et, ne quid confinxisse uiderentur, suis accusationibus inde colorem induebant, quod argumenta, pro existentia DEI hucdum adferri solita, infirmaret, quodque, iis prorsus reiectis, nouum quoddam, idque satis spinosum, innumerisque obstratum difficultatibus proferret, quod item

item definitionem DEI, erroris plenam, periculosisissimam, et talem denique, qualis ab Atheo concedi possit, in scriptis suis protulerit, quod libertatem humanam euersum eat, quod DEum, aiat, esse peccati causam et machinatorem, quod regrefsum, quem uocant, in infinitum proponat et asserat, quod doctrinam de miraculis, impiis errorum sordibus conspurcarit, quod, facile probatu esse, negauerit, genus humanum aliquando initium cepisse, quod denique, propugnatione harmoniae praestabilitae suscepta, hominem ex dupliciti constitui automato, affirmet, atque ita ordinem rerum, fixis immutabilis cuiusdam necessitatis legibus colligatum, defendat. Satis erat, satis criminum, quibus WOLFIVS postulabatur. At hic aduersariorum

F 3

pro-

prosternebat obtrectationes, crimina dissoluebat, et, quaecunque sibi putabat affingi, diluebat, firmissimo rationis propugnaculo se suasque doctrinas contra omnes male de ipso sentientium impetus tuitus. Quae male intellecta fuerant, distinctius explicabat, quae ipsi per maledicentiam imputabantur, repellebat, et, turpisima criminis macula detersa, innocentiae praesidiis se tegebatur.

At, quo non cogit furor animos, si eos inuaserit, quo non praecipites agit mentes, incitatas iam iam, et audacia instinctas! LANGIVS, ira uersus propemodum in rabiem, non satis habebat, nomen WOLFII ad Regem deferre de atheismi crimine, uerū ne publicum excandescentiae Langianaē documentum deesset, edebat

bat quoque priorem caussae DEI partem, et in hunc librum commentationes publicas Halaeadornabat. Nomen quidem WOLFII, hoc in libro, reticuerat LANGIVS, at, qui emunctioris erant naris, hi facile, quem peteret LANGIVS in hoc scripto, intelligebant. Atheismo per WOLFII scripta portam aperiri et ianuam affirmabat. Ad haec, ne erroris conuictus uideretur, respondebat nonnulla WOLFIVS, et, edita comminatione, de differentia nexus rerum sapientis et fatalis necessitatis, tela Langiana retundebat.

Qui cum, uinci, refelli, coarci, sibi putaret esse turpissimum, tantum aberat, ut uel os comprimeret, uel calatum cohiberet, ut potius, qua est belli eruditii gerendi

F 4

ritia,

ritia, nunc demum, uelut dux pugnax
et lacertosus, suas quasi copias contrahere,
totisque uiribus tanti belli discrimen
adire uideretur. Alteram ergo altera excipiebat scriptio, et, ut
in praelii dimicacione, scutorum,
gladiorum, pilorum, sparorum, hastarumque multitudine contra hostem
itur, ita LANGIVS, furore ardens,
armisque succinctus, quicquid uel
scribendo, uel docendo, uel decla-
mando, uel disputando, uel literis ad
alios conficiendis poterat, id omne
contra WOLFIVM, et ad WOLFII
doctrinas subuertendas dirige-
bat.

Anno c^lccxxiii. modestam,
ut uocat, disquisitionem noui philo-
sophiae systematis edebat, cui libello
theologorum ordo praefationem
praefi-

praefixerat, in qua multa occurrunt,
quae ad philosophiae fundamenta
conuellenda, WOLFIVMque de
statione sua, fortunaeque deiicien-
dum fastigio pertinere sunt nonnullis
uisa.

Hoc ipso quoque tempore fiebat,
ut THÜMMIGIVS, cliens WOLFII
obseruantissimusque cultor, Profes-
sor philosophiae in academia Halensi,
constitueretur, quod uero munus
cum non, ut more erat receptum,
statutisque sancitum academicis, a
philosophorum petiisset ordine, acci-
dit, ut hic, uel odio erga WOLFI-
VM percitus, uel Thümmigiana lae-
sus insolentia, nimias interponeret
moras, eumque, negaret, in phi-
losophorum ordinem esse cooptan-
dum, qui et omnes amicitiae necessi-

F 5 tudines

tudines cum WOLFIO haberet, et
sine dubio Atheismi uenenum, ex
Wolfianis haustum scriptis, esset dis-
seminaturus.

At WOLFIVS, qui fauebat
THÜMMIGIO, eundemque ad Do-
ctoris publici dignitatem euēctum uo-
lebat, literis aulae proceres commo-
uebat, ut academiae Doctores ob mo-
ram, friuole interiectam, nomine et
auctoritate Regis, grauius increpa-
rent.

Felici hoc rerum suarum successu
securior paullo WOLFIVS, aduer-
sarios suos elatius, et alto supercilio
spreuisse dicitur, quorum tamen et
calliditas et potentia omnino erat per-
timescenda. Foras emittebat moni-
tum ad commentationem de diffe-
rentia

rentia nexus rerum, in quo aculeatis aduersarios lacescebat dictariis, ipsosque, negabat, suam cepisse mentem, et nonnulla, ad praedicationem sui pertinentia, immiscebatur.

LANGIVS, qui, quod ediderat WOLFIVS, monito aliud opponebat scriptum, quod inscribebatur, placidae uindiciae modestae disquisitionis. Haec dum agebantur, per clandestinas machinationes aduersarii, ad fraudem acuti, WOLFII subuertere fortunam allaborabant, perscriptis identidem ad Regis ministros literis, quibus id agebant impensius, ut ipsum adducerent in inuidiam, ut persuaderent Regi, uix quidquam harmonia praestabilia aut absurdius, aut pestilentius excogitari posse, ut denique commouerent Regem ad WOL-

WOLFIVM, pestem iuuentutis et corruptorem, (ita enim ipsum uocabant,) ex Halensi academia eiiciendum. Neque optatis aduersariorum euentus non respondebat. Quanto enim magis **WOLFIVS** praestantisimos quosque et illustrissimos aulae Berolinensis proceres honori suo a fortunae suae fauisse, hucdum uiderat, tanto uehementius nunc, commutata subito fortuna, exterrebat.

Anno c^{lo}ccxxiii, xii. Nou. Regiae litterae ad Halensem perferebantur academiam. Magnificus academie Rector ubi, uinculis epistolae relaxatis, signoque detracto, cognorat, grauius quid, quam ipsi aduersarii opinati fuissent, in **WOLFIVM** statui, non poterat, quin cum ceteris

ris academiae Doctoribus, WOLFIO
licet infensis, stupore ac insolito quo-
dam horrore territatus, obmutesceret,
nec sciret fere, utrum tam tristis nun-
cius ferendus esset ad WOLFIVM.
Ex regis enim uoluntate, hoc declara-
ta edicto, WOLFIVS omnibus suis
exuebatur dignitatibus, et, Hala extur-
batus, solum uertere cogebatur. Quod
quidem quamuis satis ad percellen-
dum WOLFII animum territandum
que aptum uideretur, augebatur ta-
men terror et ingrauescebat, cum
ex regis cognosceret literis, non ter-
giuersandum esse, non moras necten-
das, sed prius, quam quatuor et ui-
ginti horarum elapsum esset spatium,
sibi Hala abeundum, prouinciisque
omnino omnibus Borussicis intra bi-
duum discedendum.

Vix

Vix credibile est, quantopere non WOLFIVM modo, qui fortunam, indignissimam praestantissima sua gloria, subire cogebatur, tristis hic nuncius conturbarit, sed omnes quoque WOLFII amicos, omnes academiae Halensis ciues, et nonnullos quoque ipsius aduersarios percusserit. Ne tantum quidem WOLFIO, in exilium abituro, temporis spatium supererat, quantum ad supellecilem et bibliothecam colligendam requireretur. Quos habuerat Hala, amicos relinquebat, uix uni alterius uale dicens.

Ita electus WOLFIVS expulsusque Hala, ac de statione sua detrusus, aduersariis gaudendi plaususque edendi materiam suppeditabat, qui, audacia elati, plenique laetitia, impudent-

denter gloriabantur, se philosophiae
Wolfianae pestem euomuisse, foras-
que proiecisse.

In magnam quoque calamitatem
secum pertraxerant fata WOLFII
THÜMMIGIVM, cuius quemadmo-
dum salus WOLFII continebatur
incolmitate, ita, corruente WOL-
FIO, ipsius fortuna, eodem labefa-
ctata motu, concidebat.

THÜMMIGIVS enim, quam sibi,
inuitis WOLFII aduersariis, colla-
tam gaudebat, Professoris dignitate
rursus orbatus, in exilium sequeba-
tur WOLFIVM, seque et
res suas in eum deductas statum ui-
debat, in quo anceps spes et metus,
irrequieto motu, animum misce-
bant.

A pe-

A penatibus ergo suis praeceps
eiectus WOLFIVS, et suo dimotus
loco, Marburgum, tanquam in por-
tum quendam, configiebat, ubi, quan-
quam se putabat in tuto collocatum,
uelut ex terra aliorum intuiturus nau-
fragia, non poterat tamen impedire,
quo minus ab aduersariis, ad pugnan-
dum accinctis, ad certamen sollicita-
retur.

LANGIVS ad BVDDEV M
perscripserat literas, quibus ipsum
iterum iterumque rogabat, ut suam
de philosophia Wolfiana exponeret
sententiam. BVDDEVS, ut erat
erga amicos facilis, ita, data ad
LANGIVM epistola, quid de WOL-
FIO; eiusdemque philosophia senti-
ret, apertius dicebat.

Quam

Quam epistolam, inuito BVD-
DEO, typis imprimendam curabat
LANGIVS, de tanti uiri in oppu-
gnanda philosophia Wolfiana consen-
su mirifice laetatus. Hoc pacto nouae
cooriebantur lites, et WOLFIVS,
quem BVDDEI auctoritas ad cala-
mum arripiendum induxerat, con-
futabat ipsum, acerbiori paullulum, et
acriori, quam modestiae quidem leges
patiantur, dicendi genere usus.

Haec controuersia, latius diffusa,
ita serpsit manauitque ad nostrae ae-
tatis eruditos, ut uix quisquam eorum
sit, qui non, ancipiti distractus con-
tentione, uel WOLFII faueat par-
tibus, uel ad eorum secedat castra,
qui se uocant Antiwolfianos. Et
quemadmodum lignorum strues, con-
cepto igne, latius fundit incendium,

G

et

et flamma, tenui nutrita fomento,
ita crescit et exsurgit, ut nulla ui pos-
sit extingui, sic lis Wolfiana, a te-
nuibus profecta initiis, eo creuit, ut
bellum hoc eruditum, eruditorum
discordia adulterum, uix reprimi possit
contineri.

Nostrum non est, harum con-
trouersiarum progressum et auctus e-
numerando persequi, neque uero
hae lites ita pertinent ad WOLFII
uitam et fata, ut sine iis uitae Wol-
fianae descriptio manca et mutila pu-
tanda sit. WOLFIVS enim nihil
habet commercii cum litibus illis et
controuersiis, quas uocant Wolfianas,
quasque, scimus, etiam nunc uehe-
mentius agitari. Sedet WOLFIVS
in pathmo suo tutus, et ab omni ma-
leuolorum impetu immunis. Medi-
tatur,

tatur, conficit scripta, et, tanquam in alta quadam specula constitutus, non sine insigniore animi uoluptate, acer- rimos, et praelio strenuos bellatores aspicit, qui uel ipsius dignitatem me- ritaque defendunt, uel, secessione ab ipso facta, contra sentiunt, eius- demque philosophiam iniquius inse- ctantur. Optamus uiro illustri uale- tudinem aequabilem et inconcussam, et, ut fortunae suae addatur perpe- tuitas, ita a DEO rogamus, ut qui maxime possunt.

Cap. VI.

De Scriptis WOLFI.

Dementis est, nec eruditii, sic oc- cultare suae mentis diuitias, ut nihil inde in alios redundet emolu- menti. Quas natura faatrix cuique

G 2 tri-

tribuit animi dotes, eas sic adhibere fas est, ut alii quoque amplissimum inde capiant fructum. ^{STC} Diligentius, quam quisquam aliis, hoc animo contemplatus est illustris WOLFIVS, qui non commentationibus modo, coram institutis, aliorum eruditionem adiuuandam augendamque semper putauit, sed scriptis quoque, felicissimis et diu duraturis limatissimi ingenii foetibus, aliorum studiis subuenit, memoriamque sui, elegantissimis scriptionibus conficiendis, quam maxime longam effecit.

Nos, quo quisque ordine liber est in lucem editus, eo commemorabimus, dissertationes etiam, quas perfecit ingenio, elaborauitque industria, addituri.

I. An-

- I. Anno cl^o l^o cc iii. lucem, auctore
WOLFIO, uidebat dissertatio
Lipsiae, quae inscribebatur: Phi-
losophia practica uniuersalis, me-
thodo mathematica conscripta.
De qua dissertatione cum supra
iam nonnulla sint adducta, hic plura
adferre non attinet.
- II. Dissertatio prior de rotis dentatis
Lipsiae, eodem anno, mense Octo-
bri, edito.
- III. Hoc ipso quoque anno prodibat
in lucem dissertatio de loquela
Lipsiae xx. Decembr. in Quart.
Haec sunt scripta, quae **WOLFIUS**
anno huius saeculi tertio in lucem con-
spectumque proferebat.
- IV. Ao. cl^o l^o cc iv. Hoc anno, lo-
cum in philosophorum ordine tui-
turus, eximium eruditio[n]isuae spe-
cimen

cimen edebat, dissertatione hábita de Algorithmo infinitesimali differentiali.

V. Ao. cl^o I^o ccv. Dissertatio, methodum serierum infinitarum sistens, mense Dec. edebatur.

Haec sunt scripta WOLFII, quae, cum philosophiae esset magister, Lipsiae edidit.

VI. Ao. cl^o I^o ccvii. Vbi Halam concesserat WOLFIVS, nouum munus auspicaturus, inuitabat ciues academiae, peculiari quodam scripto, ad recitationes suas mathematicas, cum publicas, tum priuatas. Hoc in scripto accessiones exponebat, quae scientiis mathematicis hoc saeculo factae sunt. Hoc ipsum uero programma ita inscribebatur: CHRISTIANVS
WOL-

WOLFIVS mathematum Profes-
for Public. et ordinarius studiosae
iuuentuti in academia Fridericiana
lectiones publicas, et priuatas pro-
xime inchoandas intimat. Halae.

VII. Cogitationes quasdam succinctas
actis eruditorum inferendas cura-
bat, quibus methodum demon-
strandi ueritatem religionis christi-
anae exponebat. Scriptio haec
ita probabatur eruditis, et in his
maxime MOLANO, ut ab eo ex-
citaretur ad eiusmodi opus, quod
hac methodo adornaretur, perfi-
ciendum.

VIII. Eodem anno edebat schedias-
ma, de inueniendo sinu anguli mul-
tiplici ex dato sinu simplici. Itidem
haec excercitatio mathematica a-
ctis eruditorum, mense Iulio,
inserebatur.

IX.

IX. Solutio nonnullarum difficultatum circa mentem humanam obuiarum, ubi simul agitur de origine notionum, et facultate rationandi. Et hae meditationes leguntur in actis eruditorum Mens. Nouembr.

X. Nouam ad mathematum studiosos mittebat, in uitationem, qua ad lectiones semestri hyberno habendas conuocabantur. His in preelectiōnibus, quas offerebat WOLFIVS mathematum studiosis, id maxime exponere in animum induxerat, quid in mathematicis deliciis selligentum potissimum iis foret, qui ad exterros excurrere constituerent. Quo quidem instituto ut erat nihil ad utilitates studiosae iuuentutis accommodatus, ita his commentationibus discendi cupidissimus

dissimus quisque diligentissime frequentissimeque intererat.

XI. Anno cō b̄ cc viii. Leges experientiarum fundamentales commentabatur, idque diatriba peculiari, in actis eruditorum reperunda.

XII. Descriptio meteori igniti, die xi. Septemb. Halae Saxonum, alibi-que uisi, a WOLFIO concinnata, similiter in actis eruditorum legitur, mens. Nouembr. Haec de- scriptio a clarissimo HAGENIO nuper admodum in teutonicum conuersa est sermonem.

XIII. Solutio dubii geometrici ab il- lustriſſimo comite ab HERBER- STEIN propositi excerpta ex li- teris CHRISTIANI WOLFII ad N - - - datis. Comes ab HER-
G 5 BER-

BERSTEIN dubium geometri-
cum circa tetragonismum circuli,
almae geometriae acutissimis cul-
toribus propositum, ad illustrem
MENKENIVM miserat, eun-
demque, ut hos dubitationum no-
dos actis eruditorum infereret, ro-
gabat. Annuebat petito **MEN-**
KENIVS, adiuncta tamen dubii
huius solutione, a **WOLFIO** su-
cepta.

XIV. Anno cl̄ Iɔ cc ix. Dissertati-
onem quandam Halae, mense Iu-
nio, habebat **WOLFIVS**, quae
inscribebatur: Consideratio phy-
sico-mathematica hiemis proxime
praeterlapsae. Haec dissertatio
a Thümmigio meletematibus uarii
argumenti annectebatur, et ea-
dem a clarissimo **HAGENIO** ger-
manice fuit conuersa.

XV.

XV. Hoc anno elementa aërometriae, in quibus aliquot aëris uires ac proprietates iuxta methodum Geometrarum demonstrantur. Non ante id tempus aerometria connexione, quam uocant, systematica fuerat explicata. Quare hoc plus inde laudis reportabat WOLFIVS, quo magis ab eruditis cognoscebat, ipsum primum huius disciplinae esse conditorem. Hanc disciplinam postmodum fundamentis suis mathematicis, quae edebat, annexenda putabat.

XVI. Experimenta nonnulla de coloribus per confusionem diuersorum fluidorum producendis eruditorum subiiciebat iudicio, actisque eruditorum, mense Julio, inferenda curabat.

XVII.

XVII. Anno 1715 cc x. Responsio
ad epistolam Viri clarissimi IOAN-
NES KEILII, A.M. ex aede Christi
in Academia oxoniensi et Reg.
Socii Actis mensis Ianuarii pag. II.
insertam.

XVIII. Monitum circa experimen-
tum de circulatione aëris per poros
ligni ex elementis Aerometriae in
Acta 1709. Mens. Ian. p. 28. trans-
latum.

XIX. Edebat principia scientiarum
mathematicarum, lingua Teuto-
nica, cum figuris aeneis, in quo.
Haec principia sunt iterum iterum-
que excusa, et ob praestantiam
suam et usum, ab eruditis etiam
nunc magni aestimantur. Annexa
est commentatio de methodo ma-
thematica, item de praecipuis
scriptis mathematicis.

XX.

XX. clo lo cc xi. Tabulae sinuum tangentium, tam naturalium, quam artificialium, una cum Logarithmis numerorum uulgarium ab 1. usque ad 10000. Edidit, praefatus est, et regulam uniuersalem soluendi omnia tam plana, quam sphaerica, praemisit CHRISTIANVS WOLFIUS. Cum figuris aeneis.

XXI. Solutio dubiorum Aerometrichorum in Diario Treuoltiensi Ao. 1710. Artic. 48. p. 588. et sqq. propositorum. Hanc solutionem inuenies in Actis erudit. Mense Ianuar.

XXII. Nouum Lampadis genus inventum a Christiano Wolfio. Vide Acta eruditorum huius anni Mens. Febr. Haec ipsa commen-
tatio

tatio quoque in patrium conuersa
est sermonem.

XXIII. Obiectiones contra nouam
definitionem motus in diario eru-
ditorum Parisino exhibitam. Iti-
dem in actis eruditorum mense
Nou. inuenies.

XXIV. Anno clo bcc xii. Meditati-
ones rationales de uiribus intelle-
ctus humani siue institutiones Lo-
gicae , lingua germanica con-
scriptae. Ita uero hae meditatio-
nes inscribebantur: Vernünfftige
Gedancken von den Kräfften des
menschlichen Verstandes und dem
rechten Gebrauch in Erkenntniß
der Wahrheit. in quo Halae. Hic
libellus recusus est, 1719, 1722, 1725,
1727, 1730, 1733. et 1736. atque simul
translatus est in linguam Gallicam
et

et Italicam. Ao. 1730. hunc ipsum
librum ipse Wolfius latine uerte-
bat, et circumferebatur hac in-
scriptione: Cogitationes rationa-
les de uiribus intelle \acute{c} tus humani,
earumque usu legitimo in ueritatis
cognitione, cum iis, qui uerita-
tem amant, communicatae, et
nunc ex sermone Germanico in la-
tinum translatae. Mullerus, Pro-
fessor Giesensis, primum amicus
WOLFII, post eidem inimicissi-
mus, hanc Logicam latine interpre-
tari parabat, sed **WOLFIVS**, ue-
ritus, ne quis sensus alienus ipsi
affingeretur, ipse, manu admota,
opus hoc interpretationis suscipi-
ebat. Quo quidem in Mülleri of-
fensionem incurrebat, atque ipse
Mullerus, ira exacutus, nonnullos
dubi-

dubitacionum nodos contra hanc
Logicam Wolfianam necebat.

XXV. Anno cl̄ l̄ cc xiii. Elementa
Matheſeos uniuersae, cum figuris
aeneis, Tomis duobus, in 4to, Ha-
lae. Cuius parti priori praefixa est
commentatio de methodo mathe-
matica. Alter tomus decimo
quinto huius saeculi anno in lucem
editus est. Auxit postea hoc o-
pus **WOLFIUS**, ita, ut nunc
quatuor exſtent Tomi. Horum
prior tomus edebatur cl̄ l̄ cc xxx,
alter cl̄ l̄ cc xxxiiii. tertius
cl̄ l̄ cc xxxv. et quartus ſive ulti-
mus cl̄ l̄ cc xxxvi. Noua haec
editio multum praferenda eſt edi-
tioni priori, et, ob praefantiam,
prior huius operis tomus Parifiis
cl̄ l̄ cc xxxii. in Gallicam conuer-
ſus eſt linguam.

XXVI.

XXVI. cī 15 cc xv. Meditatio de similitudine figurarum, praesertim curuilinearum et constructione lunularum Cyclico-parabolicarum similiūm datamque inter se rationem habentium. Haec meditatio actis eruditorum inserta legitur, mense Maio.

XXVII. Regula noua inueniendi Logarithmum summae uel differentiae duorum numerorum siue rationalium, siue irrationalium, tam integrorum, quam fractorum, itemque potentiarum eorundem siue similiūm, siue dissimiliūm. Hoc quoque scriptum in actis eruditorum legitur mense Iunio.
pag. 757.

XXVIII. Regula noua, eaque uniuersalis inueniendi differentiam potentiarum duarum quarumcunque, sed eiusmodi gradus, quarum radices siue unitate, siue quocunque numero alio differunt. Exhibitetur haec meditatio in actis eruditorum mense Dec.

XXIX. Praefationem Wolfius praefigebat Herbelii introductioni ad uitra polienda. In hac praefatione agit de usu uitrorum politorum.

XXX. cī 15 cc xvi. Responsio ad epistolam Viri summe Reuerendi Cornelii Dieterici Kochii praesidis societatis conantium in academia Helmstadiensi de die xxv. Februarii cī 15 cc xvi, Conceperat nonnulla dubia
H Kochi-

Kochius contra principium individuationis, eaque literis, ad Wolfium datis, cum ipso communicarat. Wolfius respondebat, et haec soluebat dubia, epistola quadam ad Kochium per scripta.

XXXI. Meditationes de insolito phoenome-
no, quod mense Martio huius anni in coelo
adparebat, cum figuris aeneis. Hoc scri-
ptum patro sermone est editum.

XXXII. Lexicon mathematicum, quod ite-
rum Lipsiae cīcī cc xxxvi. est excusum.

XXXIII. cīcī cc xvii. Theoremata Geome-
trica noua, quibus omnium parabolārum,
hyperbolārum et Cissōidū in infinitum, ali-
arumque innumerarum curuarum nouarum
descriptions simplicissimae continentur.
Videas hic acta eruditōrum, et quidem
mensē Martium.

XXXIV. Specimen physicae ad theologiam na-
turalem applicatae, sistens notionem intel-
lectus diuini per opera naturae illustratam.
Haec dissertatio, quae, mense Augusto huius
anni, habebatur, tanto eruditōrum plausu ex-
cepta fuit, ut non modo Thümmigius
Meletematibus suis uarii argumenti infe-
rendam putarit, sed quoque Germanice
uerterit nuper Hagenius.

XXXV.

XXXV. Quae ediderat Wolfius mathefeos principia, ea in compendium redigebat, et ita adornabat, ut in paelectionibus academicis uel scholafticis, fundamenti loco, possest substerni. Compendium hoc ita inscribebat: Auszug aus den Anfangs-Gründen aller Mathematischen Wissenschaften. Hic libellus cīc 10 cc xxv. iterum est editus.

XXXVI. cīc 10 cc xviii. Detectio uerae caussae de admiranda frumenti multiplicatione, itemque de plantarum et arborum incrementis. Hoc scriptum, quod ad physicam uel maxime illustrandam pertinet, communibus eruditorum, rei physicae intelligentium, suffragiis fuit comprobatum, et Londini etiam cīc 10 cc xxxiv. anglice fuit translatum, id quod WOLFIO non mediocri cedit honori. Ulmae denuo typis excudebatur, sed, inscio et inuito WOLFIO. Postea a WOLFIO augebatur uariis accessionibus, et cīc 10 cc xxv. noua prodibat editio. Anonymus quidam edebat nonnulla monita contra hanc detectionem Wolfianam et multa in meditationibus WOLFII de mirabili frumenti multiplicatione desiderabat.

XXXVII. Praefationem quoque hoc anno scripsit, praefixam Leutmanni commentationi de horologiis. In hac praefatione Wolfius
H 2. non

non poenitenda adfert de horologiorum historia, et libris, qui de horologiis exponunt.

XXXVIII. Ratio paelectionum Wolfianarum in Mathefin et philosophiam uniuersam, Halle, 8uo. Hoc scriptum, ut supra monuimus, non omnino nullam suppeditauit ansam, lites excitandi. c1610 cc xxxv. altera huius libelli edito prodiit, eaque auctior. Nam commemorat **WOLFIVS** noua hac in editione, quam inierit rationem, Hugonis Grotii opus de Jure belli et pacis explicandi.

XXXIX. Quas contra detectionem uerae causae de admirabili frumenti multiplicatione formatas uidebat, nunc confutabat obiectio-
nes, edito scripto huius indicis: Erläuterung
der Entdeckung der wahren Ursache von der
Vermehrung des Getreydes/ &c.

XL. Deuenio nunc ad scriptum, quod Wolfio non multorum modo contraxit offensas, sed funestissimae discordiae semina sparsit, nempe ad eius Metaphysicam. Hic liber, quo meditationes de DEO, anima, mundo, et conceptibus rerum communibus, cum eruditis communicabat, hoc etiam nunc circumfertur titulo: Bernünftige Gedanken
von Gott/ der Welt/ und der Seele des Menschen/ auch allen Dingen überhaupt. Francof. et Lips, 8uo. In fronte libri reperies qui-
dem

dem annum huius saeculi uigesimum, quo
primum editus sit, sed constat, exiisse in
uulgas has meditationes anno undeuigesimo
praesentis saeculi, ut adeo prima editio Me-
taphysices Wolfiana recte referri possit ad
cic cc xix. Sextum iam recusus est hic liber,
nec dubium est, quin plures secuturae sint
editiones. Prior editio comparebat
cic cc xix. quamuis bibliopola cic cc xx.
in fronte posuerit, altera cic cc xxii, tercia,
cic cc xxv, quarta, cic cc xxix, quinta,
cic cc xxxiii, et sexta cic cc xxxvi. Mul-
ta aduersarii VVolfi sibi uisi sunt deprehen-
disse in hoc scripto, quae, et absurdia, et
impia, et periculi plena, et omni religioni
honestatique contraria putari debeant. Sed
defendit se VVolfius, crimenque dissoluit.

XL.I. cic cc xx. Monitum, qua ratione se
gerere uelit VVolfius, si in posterum dubia
et obiectiones contra scripta sua ab aduerfa-
riis formentur.

XL.II. Cogitationes rationales de hominum
actionum commissione uel omissione, Teu-
tonice: Vernünftige Gedanken von der Mens-
schen Thun und Lassen / zu Beförderung ihrer
Glückseligkeit. Hoc libro uniuersa philoso-
phia morum continetur, et saepius idem re-
cusus est. Anno cic cc xx. prima editio

H 3

in

in lucem proferebatur, cīd 10 ccxxiii, altera, tertia cīc 10 cc xxviii, et quarta cīc 10 cc xxxiii.

XLIII. Praefationem scribebat, praefigendam translationi germanicae scriptionum non-nullarum Leibnitianarum et Clarckianarum memorabilium, quam adornauit Henricus Koehlerus

XLIV. cīc 10 ccxxi. Hoc anno in publicum prodibat WOLFII politica, siue vernünftige Gedancken von dem gesellschaftlichen Leben der Menschen und insonderheit dem gemeinen Wissen zu Beförderung der Glückseligkeit des menschlichen Geschlechts. Halle in 8. Recusus est hic liber cīc 10 cc xxxvi.

XLV. Experimenta physica, undique collecta, edebat WOLFIVS, sub hoc titulo: Allerhand nützliche Versuche dadurch zu genauer Erklärung der Natur und Kunst der Wig gebahnet wird. Tribus constat Tomis hec opus, et forma octava excusum est. Prior Tomus edebatur cīd 10 cc xxii, alter cīc 10 cc xxiii, et tertius eodem anno, quamvis in fronte annus tertius et uigesimus präsentis saeculi sit impressus.

XLVI. Epistola gratulatoria ad Conrad. Henr. Menschingium. Perbreuis haec epistol, ad respondentem disputationis Thümmigiae

næ

nae de animi immortalitate, perscripta, continet quaedam, ad doctrinam de animi immortalitate illustrandam pertinentia.

XLVII. cīc 10 cc xxii. Epistola gratulatoria ad Georgium Frider. Unruh, quae affixa est dissertationi Thümmigiana: qua phaenomenon singulare solis coelo sereno pallescentis ad rationes reuocatur. Hac epistola adfert quaedam WOLFIVS, quae ad merita sua in ueritatis metaphysicis distinctius cognoscenda pertinent.

XLVIII. Praefationem praemisit WOLFIVS Sturmii physicae electiuae siue hypotheticae, quae Norimbergae 1722. edebatur, parti posteriori.

XLIX. cīc 10 cc xxiii. Tuttissimum quoddam remedium contra calumnias edebat, hac cum inscriptione: Sicherer Mittel wider un-gegründete Verläubdungen/ wie denenselben am besten abzuhelfen. Halae, in quo. Hoc scripto Straehleri cauillationes confutabat.

L. Physices theoreticae partem priorem edit Halae, in forma sua. Scripti titulus hic erat: Bernünftige Gedancken von den Würckungen der Natur.

LI. Physices partem alteram edebat sub titulo: Bernünftige Gedancken von den Absichten der natürlichen Dinge. Bibliopola 1724. in ti-

H 4

tulo

tulo imprimendum curauit, sed scriptum
cic 15 cc xxiii. prodiit.

LII. Commentatio de differentia nexus rerum sapientis et fatalis necessitatis, nec non systematis harmoniae praestabilitae &c. Hoc scriptum est Langio oppositum.

LIII. Monitum ad commentationem luculentam de differentia nexus rerum sapientis et fatalis necessitatis, quo nonnulla sublimia metaphysicae ac theologiae naturalis capita illustrantur.

LIV. cic 15 cc xxiv. Hoc anno Buddeum confutabat sequenti scripto: Anmerkungen über das Buddeische Bedenken.

LV. Item contra Theologos Halenses depugnabat hoc scripto: Gründliche Antwort auf der Theologischen Facultät zu Halle Anmerkungen.

LVI. Annotationes in Metaphysicam suam scribebat sub hoc titulo: Anmerkungen über die vernünftige Gedanken von Gott, der Welt und der Seele des Menschen auch allen Dingen überhaupt, Francofurt.

LVII. Annotationibus in Buddei scriptum additamenta subiunxit sub titulo: Nöthige Zugabe zu den Anmerkungen über Hrn. D. Buddeus Bedenken von der Wolffischen Philosophie.

LVIII.

LVIII. c 10 10 cc xxv. Examen systematis folium dimidiatorum. Dissertatio haec Marburgi habebatur, mense Aprili.

LIX. Tertiam physices partem edebat. Index huius libri erat: Vernünftige Gedanken von dem Gebrauche der Theile in Menschen, Thieren, und Pflanzen.

LX. Tertium scriptum contra Buddeum emittebat sub titulo: Klarer Beweis, daß Hr. D. Budde die ihm gemachten Vorwürfe einräumen und gestehen muß, er habe aus Überseitung die ungegründeten Auslagen der Hällischen Widersacher recht gesprochen.

LXI. c 10 10 cc xxvi. Orationem typis excudendam curabat de Sinarum philosophia practica, in solenni panegyri recitata. De hac oratione, tanquam pomo Eridos, iam actum est a nobis.

LXII. Principia dynamica. Haec principia inueniuntur in Commentariis Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae.

LXIII. Ausführliche Nachricht von seinen eigenen Schriften, die in deutscher Sprache von den verschiedenen Theilen der Welt-Weisheit herausgegeben, auf Verlangen ans Licht gestellt.

LXIV. Phaenomenon singulare de malo pomifera

mifera absque floribus ad rationes physicas
reuoatum, Marburgi in 4to.

LXV. cīc 10 cc xxviii. Hoc anno primum
edebat Logicam Wolfius lingua latina in
forma quarta cum hoc titulo: Philosophia
rationalis siue Logica methodo scientifica
pertractata, et ad usum scientiarum atque
uitae aptata. Francofurt. et Lips. in 4to

LXVI. Monitum de sua philosophandi ratio-
ne. Scriptum hoc opponebatur Hanschio,
qui in opere Logico maiori nonnulla de-
fiderarat.

LXVII. cīc 10 cc xxix. Horae subseciuae Mar-
burgenses, quibus philosophia ad publicam
priuatamque utilitatem aptatur. Franco-
furti et Lipsiae, in 8uo.

LXVIII. cīc 10 cc xxx. Edebat hoc anno Me-
taphysicam formae maioris, lingua Roma-
na conscriptam. Pars eius prima prodibat,
et inscribebatur: Philosophia prima siue
Ontologia methodo scientifica pertractata,
qua omnis cognitionis humanae principia
continentur. Francofurt et Lips. Recusum
est hoc opus anno cīc 11 cc xxxv.

LXIX. Continuabat quoque VVolfius horas
suas subseciuas, quibus argumenta uarii ge-
neris continentur.

LXX. Praefatio Schreiberi parti primae ele-
mentorum Medicinae physico Mathematicorum
praemissae.

LXXI

LXXI. cīcīcc xxxi. Cosmologia generalis, methodo scientifica pertractata, qua ad solidam, in primis Dei atque naturae cognitionem via sternitur. Francofurt. et Lips. in 4to.

LXXII. cīcīcc xxxii. Psychologia empirica, methodo scientifica pertractata, qua ad solidam, in primis Dei atq; naturae cognitionem via sternitur. Francofurt. et Lips. in 4to.

LXXIII. Horae subsecuae continuantur.

LXXIV. cīcīcc xxxiii. Epistola gratulatoria de utilitate artis iuueniendi in systēma redigendae, ad Cramerum perscripta, qua ipsi nouum munus gratulatur.

LXXV. Praefatio, translationi Germanicae, quam Baumannus adornauit, operis Nieuwenhydiani praemissa.

LXXVI. cīcīcc xxxiv. Praefatio, Hagenii libro de methodo mathematica praefixa. Haec praefatio VVolfii agit de acumine intellectus, mathematum tractatione compa-rando.

LXXVII. Praefatio, nouae Hugonis Grotii editioni de Jure B. et P. praemissa.

LXXVIII Psychologia rationalis methodo scientifica pertractata, qua ea, quae de anima, indubia experientiae fide innotescunt, per essentiam et naturam animae explicantur, et ad intimorem naturae eiusque autoris cogni-

cognitione in profutura proponuntur. Fran-
cofurt. et Lips. in 4to.

LXXIX. cīcī cīccī xxxv. Hoc anno scripsit Wol-
fius praefationem, Thümmigii tentaminum
nouae editioni praefixam. 8.

LXXX. cīcī cīccī xxxvi. Theologiae naturalis
methodo scientifica pertractatae Pars prior,
integrum sistema complectens, qua existen-
tia et attributa Dei a posteriori demon-
strantur. 4to Francofurti et Lips.

LXXXI. cīcī cīccī xxxvii. Theologia naturalis
methodo scientifica pertractata. Pars poste-
rior, qua existentia et attributa Dei ex no-
tione Entis perfectissimi et Natura animae
demonstrantur. Francof. et Lips.

LXXXII. cīcī cīccī xxxviii. Philosophia practica
Vniuersalis, methodo scientifica pertractata.
Pars prior Theoriam Complectens, qua
omnis actionum humanarum differentia,
omnisque iuris et obligationum omnium
principia a priori demonstrantur.

LXXXIII. Scriptum quoque polemicum contra
Langium edidit, hoc insignitum titulo: Ant-
wort auf D. Joachim Langens Fürzen Abriß der
jenigen Lehr-Sätze welche in der Wolffischen
Philosophie der natürlichen und geoffenbarten
Religion nachtheilig sind &c.

Vide,

Vide, Lector, quam longa sit series scriptorum, a WOLFIO solide limatissimeque elaboratorum, et luci publicae expositorum. Mirantur eruditi Wolfianam diligentiam, mirantur acumen, mirantur soliditatem, et uim mentis incredibilem. Haec omnia ipsi quoque nos miramur, optamusque cum compluribus aliis, ut DEus WOLFIO tantum adhuc uitae spatium concedat, quantum ad opus philosophiae, quod inchoauit, perficiendum requiritur. In primis uero magno ea scripta uidenti desiderio tenemur, quae se editum promisit. Logicam in primis probabilium omnibus uotis expetunt eruditiores, artemque heuristicam, quam se conjecturum pollicitus est, anxie exspectant. Vitae quoque suae enarrati-

rationem, si promissis standum est,
cum eruditis communicabit. Quam
uellem, ut qualiscunq; haec, uitae Wol-
fianae descriptio ipsi esset incitamento,
ad suam uitam pluribus exponendam
et euulgandam! quod unum qualicun-
que hac opella si consecutus fuero, id,
quod, ad hunc aggressus labore,
optaui, me consecutum
putabo.

EMENDANDA.

- Pag. II. lin. 6. pro d. XXXIV. Ian. lege: XXIV. Ian.
60. lin. 8. pro *quicquam*, lege: *quisquam*.
64. lin. 1. pro *morte*, lege: *more*.
83. lin. penultim. pro *legem*, lege: *regem*.
102. lin. 2. pro *Algorithmo*, lege: *Algorithmo*.



Fa 3126

S

Worl

Bac k

